



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Dispytatio VI. De Composito substantiali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

habetur talis indeterminatio ex parte causæ secundæ, quæ non possit nisi per causam primam tolli. Illud autem exemplum de duabus causis non est simile, quia, ut supponitur, illæ duæ causæ non possent simul agere, sicut posset materia & forma simul recipere vnionem.

Ad confirmationem respondeo negando consequentiã, quia Verbum diuinum non est capax nouæ entitatis. Et confirmatur hæc responsio, quia quamuis Verbum diuinum sit simile vel dissimile creaturæ, non per relationem aliquam realem in ipso repperam ad creaturam, sed potius propter relationem similitudinis aut dissimilitudinis, quam habet creatura ad ipsum, non tamen vna creatura dicitur alteri creaturæ similis aut dissimilis, nisi à relatione in seipsa recepta; ergo quamuis Verbum diuinum diceretur vnicum creaturæ, non per vnionem in se ipso receptam, sed per hoc quod terminet vnionem creaturæ non tamen debet dici, quod vna creatura vniantur alteri, nisi habeat relationem vnionis in seipsa receptam.

37. *Obiicies secundo*, Vnio adæquata materiæ & formæ est illud, quo coniunguntur inter se: sed per vnicam vnionem sufficienter vniantur: ergo per vnicam vnionem adæquate vniantur.

Respondeo distinguendo maiorem: ita ut vtraque vniantur per modum subiecti, concedo; ita ut vtraque non sic vniantur, nego maiorem; & distinguo similiter minorem; priori modo, nego, posteriori, concedo.

Obiicies tertio, Partes continui copulantur vnico termino communi, & non duplici: ergo similiter dicendum est de materia & forma.

Respondeo, quidquid sit de antecedente, negando consequentiã; quia ille terminus communis quo copulantur partes continui, non debet esse subiectatus in partibus copulatis; sed solum debet intercedere inter illas, & præterea est quid absolutum: vnio autem debet subiectari in rebus vnitis per ipsam, aut in aliqua ex illis, & est quid respectuum.

38. *Quæres primo*, vtrum inter animam rationalem & corpus debeat etiam poni duplex vnio.

Respondeo affirmatiue, eadẽ enim est ratio hic & alibi.

Dices: Vnio subiectata in anima non posset esse spiritalis ex eo, quod esset diuisibilis, nam haberet terminum diuisibilem, scilicet corpus, nec posset esse materialis cum subiectaretur in anima spiritali, nec posset esse spiritalis & materialis simul, quia hoc repugnat in re saltem non composita.

Respondeo illam vnionem esse spiritalem, & etiam diuisibilem, neque repugnat spiritalitati talis diuisibilitas, quæ non petat habere diuisibile subiectum, ut alias ostendam in libris de anima.

Alij dicunt vnionem illam eo quod spiritalis sit, esse indiuisibilem. *Contra*, quia non eadem numero vnione vnitur anima pedi & capiti, quandoquidem posset esse vnio eius ad caput sine vnione ipsius ad pedem, ut patet in homine, cui abscinderetur pes: ergo vnio totalis animæ ad corpus habet partes, secundum quarum vniam vnitur capiti, verbi gratia, & alteram pedi.

Respondent ipsi negando antecedens, dicunt enim quod, quando fit vt aliqua pars corporis non informetur ab anima, tota vnio animæ tollitur, & vnio noua producit, qua vnitur partibus, quas informat: & similiter dicunt quod, quando aliquam partem de nouo informat anima, vt verbi gratia, in nutritione tollatur vnio præcedens, & eius loco ponatur alia indiuisibilis vnio, qua vnitur & partibus præexistentibus & parti per nutritionem acquisitæ.

39. *Sed contra*, quia inde sequeretur quod destrueretur homo pro quolibet instanti, pro quo auferretur ab illo vlla pars corporis, & quo acquireretur vlla pars corporis per nutritionem; quod est absurdum. Probatur sequela, quia tum destruitur homo, quando tollitur vnio totalis animæ eius ad corpus. Nec refert quod succedat alia vnio, quia ad conceptum destructionis nihil aliud requiritur quam quod tollatur vnio, siue alia succedat, siue non; & certe *Scotista* tenentes hanc, viam parũ sunt consentanei Doct. & multum patrocinantur Thomistis

in alia difficultate, vbi inferimus contra eos, quod si materia haberet existentiam à forma, toties quoties reciperet nouam formam, destrueretur & annihilaretur, vt facile consideranti patet. *Præterea* & præcipue, si potest saluari sine inconuenienti, quod tota hominis vnio non pereat ad acquisitionem aut perditionem cuiuslibet partis, sine dubio id conuenientius fit, & aduersarij non nisi necessitate compulsi asserunt oppositam; sed id potest fieri sine vllò inconuenienti tenendo vnionem esse diuisibilem, ergo id debet teneri.

40. *Quæres secundo*, vtrum vniones partiales, quibus partes formæ vniantur cū partibus materiæ, aliis vnionibus inter se vniantur. *Respondeo* omnes vniones partiales, quæ possunt esse sine se inuicem, si secundũ se vniantur, inter se vniri per vnionem à se distinctam, qua alias non posset saluari quomodo haberent de nouo denominationem vniti. Dixi *secundum se*, quia forte de facto non secundum se vniantur inter se, sed tantum ratione subiecti, quatenus scilicet omnes partes subiecti, in quibus subiectantur, inter se vniantur integraliter, hoc enim ipso quo ita fieret, etiam partes vnionis correspondentes illis partibus inter se sufficienter vnirentur sine vlla speciali vnione, quæ secundum se inter ipsas intercederet.

41. *Quæres tertio*, vtrum possit Deus de potentia absoluta ponere vnionem in materia ad formam non ponendo vnionem in forma ad materiam.

Respondeo difficile esse assignare repugnantiam cur id non posset facere, cum sit agens liberum, & vnus respectus non dependeat intrinsece, nec extrinsece ab altero: dicere autem quod sint simul natura, & quod propterea non possint esse sine se inuicem isti duo respectus, non satisfacit: quia vel intelligitur per hoc, quod ita sint simul natura, vt non possint esse etiam supernaturaliter sine se inuicem, & hoc est petere principium: vel intelligitur per hoc, quod sint naturaliter taliter simul, vt non possint naturaliter esse sine se inuicem, & hoc posset esse verum, quamuis supernaturaliter possent esse simul. Si tamen actio & passio, & vbi intrinsecum ac extrinsecum habeant tam necessariam connexionem, vt non possit poni actio sine passione, nec vbi extrinsecum abique intrinseco, cur etiam vnio materiæ & formæ non haberet talem connexionem? Itaque quod de istis dicitur, de his etiam dici debet; ego pro præsentis nihil resoluo.



DISPUTATIO VI. DE COMPOSITO SUB- STANTIALI.

CONSEQVENS est vt post tractatum de principiis intrinsecis corporis naturalis, seu compositi substantialis, iam in hac vltima disputatione libri primi Physicorum de ipso composito agamus.

QVÆTIO I.

An compositum substantiale distinguatur reatier à suis partibus unitis.

1. *S*uppono tanquam certum, ac ab omnibus admissum, dari compositum physicum constatum ac constitutum ex partibus physicis, nempe ex materia, & forma, quas propterea diximus fuisse principia corporum naturalium compositorum in facto esse.

Si autem queratur cur ex materia prima & forma substantiali sequatur per se vnũ compositum, potius quam ex subiecto & accidentibus. Ex pluribus rationibus, quæ afferuntur, nulla melior est, quàm quod materia & forma sint incompletæ substantiæ, quarum vna est in per se potetia ad alteram, & altera est per se actus ipsius: quod ex dictis de materia & forma colligi facile potest. Accidens vero nõ est per se actus subiecti, siue proximi, quod aliquando est aliud

An vnio-
nes par-
tiales di-
stinctæ
vniantur
inter se.

An possit
poni vnio
in materia
abique
vnione in
forma.

Datur du-
plex vnio
etiam in
homine.

Vnio ani-
mæ est
spirita-
lis.

Cur se-
quatur
vnũ per
se ex ma-
teria &
forma po-
tius quam
ex subie-
cto & ac-
cidente.

aliud accidens, siue vltimati, quod semper est substantia, quandoquidem sit diuersi prædicamenti ab illo, nunquam enim accidens vnius prædicamenti subieciatur in subiecto quod sit eiusdem prædicamenti, si excipias relationes intrinsecus aduenientes.

2. *Hoc itaque supposito*, omne huiusmodi compositum siue dubio distinguitur realissime à qualibet ex suis illis partibus seorsim sumptis, quandoquidem quælibet ex illis possit esse in rerum natura absque composito, imò ob eandem rationem distinguitur realiter ab ipsis simul sumptis & existentibus realiter, quia possent simul existere in rerum natura materia & forma ignis, verbi gratia, siue eo quod existeret ipsemet ignis, in casu scilicet quo conseruarentur à Deo absque vnione, qui casus ex dictis est omnino possibilis potentia extraordinaria Dei, imò de facto partes hominis, nempe corpus & anima eius, existit realiter, quando non existit realiter ipsemet homo, sed moritur. Sed controuersia grauissima hic examinanda est, an compositum physicum dicat aliquid realiter distinctum à partibus suis physicis simul sumptis & vnitis ita, vt præter materiam & formam ac vniones ipsarum reperiat in composito substantiali physico alia entitas positua, quam Scotista communiter vocant terciā entitatem, ex eo quod ex entitatibus absolutis concurrentibus ad compositum substantiale illa sit terciā, materia enim est prima, forma vero secunda: vnde illa entitas, si detur, debet esse terciā, præsertim cum secundum Scotistas vnio sit respectus, & non aliquid absolutum.

CONCLUSIO I.

3. *Totum substantiale physicum distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis.* Hæc est expresse Scoti 3. d. 2. q. 2. quem præter suos sequuntur Capreolus, Caietanus, Ferrar. Iauellus, Conimbricenses citati à Suario disp. 36. *Metaph. sect. 3.* contra eundemmet Suarium, Rumiū, & alios, quos citat & sequitur Auerſa q. 19. sect. 8. & *Complutenses hic disp. 6. quæst. 4.*

Probatur primo ex Philosopho 2. de anima tex. 27. & alibi, vbi diuidit substantiam corpoream in tria membra, materiam scilicet, formam & totum compositum: ergo totum est distinctum à materia & forma.

Deinde 5. *Metaphys. c. 14.* ait sex non esse bis tria, sed semel sex: quod esset falsum, nisi totum illud constitutum ex bis tribus esset distinctum à bis tribus.

Respondent aduersarii tantum sequi ex his, quod compositum seu totum distinguitur à partibus diuisim & seorsim sumptis, non à partibus vnitis.

Contra, quia Philosophus 8. *Met. c. 6.* ait totum compositum ex materia & forma non esse simile acervo lapidum, sed aliquid præter partes, vbi expresse vult quod differentia totius compositi ex materia & forma à toto per aggregationem consistat in hoc, quod illud dicat aliquid præter partes; hoc nō dicat. Sed si intelligeret quod totum compositum ex materia & forma diceret quid distinctum tantum à qualibet parte diuisim & seorsim sumpta, illa prorsus differentia esset nulla, quia totū per aggregationem etiam sic distinguitur à suis partibus.

Dices, per illud, quod totum physicum dicit præter partes, intelligi vnionem. *Contra*, quia etiam totum per aggregationem dicit approximationem suarum partium, licet non dicat vnionem aliam: ergo nulla responsio.

Confirmatur, quia totum per accidens, vt album, dicit præter partes, partem scilicet & albedinem, vnionem eorum; ergo non posset dici quod differret totum per se à toto per accidens, in hoc quod totum per se diceret aliquid præter partes, totum per accidens non diceret, si totum per se non diceret præter partes nisi vnionem.

4. *Probatur secundo*, quia omnis causa vera & realis, quæ causat per influxum verū & realem, distinguitur à suo effectu realiter, quia idē nō potest influere in seipsū, neque in aliquid sibi realiter identificatum, & quia alias posset dici quod essetia diuina esset causa intrinseca physica influens in Deū, quo nihil absurdius potest excogitari: sed materia & forma vnita, sunt veræ & reales causæ in-

fluentes realiter in compositum physicum: ergo materia & forma vnita distinguuntur realiter ab ipso composito.

Diximus aduersarii materiam & formam vt vnitas, non causare totum, sed seorsim & diuisim sumptas.

Contra, quia implicat vt siue seorsim, siue simul ponantur in rerum natura, causent totum, nisi vniantur: ergo vt vnita causant. Probatur antecedens, quia non causant totum, nisi sufficienter applicentur, & applicatio ipsorum est prius aliquo modo quam effectus ipsorum: sed illa applicatio non potest esse alia ab ipsa vnione: ergo vt vnita causant.

Confirmatur, quia posita vnione aliquid causant, quod non causarent sine vnione; sed non causant seipsas, neque vnionem intrinsece, non enim sunt partes sui ipsius aut vnionis, ergo aliquid aliud.

5. *Hiutadus hic disp. 6.* respondet negando causas intrinsecas vere causare suum effectum, nempe compositum, quod constituitur solum modo ex ipsis, non vero causatur ab ipsis.

Contra primo quia tam deberet totum distingui ex eo quod constitueretur realiter, quam ex eo quod causaretur realiter ab ipsis, neque enim idem potest realiter constitui seipsam.

Contra secundo, quia secundum Philosophum, & omnes, quodlibet totum vnum per se habet quatuor genera causarum; ex quibus dependet: sed ex illis materia, & forma sunt duæ causæ, ergo causant.

Alij respondent causas intrinsecas non debere distingui à suo effectu, licet id sit verum de causis extrinsecis.

Contra, quia si id sit verum de causa extrinseca: ergo etiam & de intrinseca. Probatur consequentia, tum quia non potest assignari disparitas, tum quia non ex ratione causæ extrinsecæ oritur quod debeat distingui ab effectu, sed ex ratione causæ realiter influentis; causa autē intrinseca est realiter influens, vt supponitur; tum denique quia implicat quod idē influat realiter in seipsū, siue per modum causæ extrinsecæ, siue intrinsecæ, vt est euident.

6. Propter hæc, *Suaris*, & *Rumiis*, & plures alij concedunt, partes necessario exigere vnionem, vt causent totum, & eas non nisi vt vnitas causare, dicunt tamen eas vnitas copulatiue non causare, sed diuisim, ita scilicet, vt & materia quatenus vnita causet, & forma etiam quatenus vnita, non tamen ita vt vtraque simul vt vnita copulatiue causent.

Contra, quia compositum per se, sicut habet causam aliquam extrinsecam adæquatam, siue illa causa sit vna aut plures, ita debet habere causam aliquam intrinsecā adæquatam; vel vnā vel plures: & quemadmodum si plures sint causæ extrinsecæ, scilicet efficientes, requisitæ, vna illarum non potest agere sine altera, sed vtraque simul applicari debet, & vt sic applicatæ simul causant etiam copulatiue; ita si plures requirantur causæ intrinsecæ, vna non poterit agere sine altera, sed vtraque simul applicari debet, & vt sic applicatæ causant copulatiue: atqui totum non habet pro causa adæquata intrinseca nisi materiam & formam: ergo causatur ab ipsis vt vnitis copulatiue sumptis, & non tantū diuisim.

Confirmatur: Materia seorsim sumpta est causa inadæquata totius, & similiter forma seorsim sumpta: ergo vtraque simul sumpta est causa adæquata totius: ergo vtraque simul sumpta & vnita causat totum. Prima consequentia patet inductione in omnibus aliis causis partialibus.

7. *Probatur tertio conclusio*, quia secundum aduersarios homo non includit aliquid, præter materiam, & animam rationalem, & vnionem: sed materia non causat per modum partis intrinsecæ, aut animam rationalem, aut vnionem, aut seipsam: ergo debet causare aliquid aliud: & similiter potest discursu de anima, & hinc sequitur quod neque seorsim aut diuisim sumpta causet aliquid, quod est contra responsionem vltimam iam datam.

Confirmatur, quia partes vnita sunt partes alicuius: nō sui ipsius: ergo alicuius alterius: ergo datur aliquid aliud, in quo includuntur, & consequenter conclusio est vera.

8. *Probatur*

8. *Probatur quarto conclusio*, quia per generationem substantialem debet produci aliqua substantia siue mediate, siue immediate; sed actio qua vnitur anima rationali corpori, est generatio substantialis secundum omnes: ergo debet produci per illam aliqua substantia: sed non producitur per eam anima rationalis, aut materia prima, hæ enim & poterant esse ante producta; & etiam si animarum produceretur, non tamen generatur, sed creatur, ergo aliquid aliud substantiale distinctum.

Dices primo, produci vnionem, quæ est substantialis.

Contra primo, quia secundum multos aduersarios vnio est ipsamet generatio.

Contra secundo, quia quando dicitur quod vnio sit substantialis, vel intelligitur per hoc quod sit substantia, seu modus aliquis substantiæ, qui non sit accidens; & hoc est falsum, quia, vt disputatione præcedenti ostendimus, vnio illa est respectus extrinsecus adueniens. Vel intelligitur quod sit substantialis ex eo quod illam sequatur aliqua substantia, quæ sine illa non sequeretur, & hoc etiam est falsum, nisi sit in homine aliqua entitas substantialis præter corpus, & animam, & vnionem. Vel intelligitur quod sit substantialis ex eo quod habet pro extremis substantias & in hoc sensu est quidem substantialis, sed esse substantiale sic non sufficit, vt generatio sit substantialis, alias actio, qua approximatur vna substantia alteri, posset dici substantialis, quod communiter ab omnibus negatur.

9. *Dices secundo* per illam generationem produci materiam, & formam vt vnitas, quæ vt sic sunt substantia.

Contra primo, quia vt sic nihil dicunt præter materiam & formam, & vnionem: ergo si anima non producatur, nec materia, & productio vnionis non sufficiat ad hoc vt generatio sit substantialis, adhuc manet difficultas.

Contra secundo, quia vt vnitas sunt ens per accidens; sed generatio debet habere pro termino ad quem ens vnum per se, ergo. Probatur maior, quia vt sic includunt vnionem, quæ est alterius prædicamenti. Et hinc confirmatur probatio, quia per generationem producitur homo: sed homo est quid vnum per se: ergo debet dicere aliquid præter materiam, & formam vt vnitas.

Confirmatur secundo, quia homo per se & directe ponitur in prædicamento substantiæ: sed materia, & forma vt vnitas non ponuntur in eo: ergo homo est aliquid distinctum à materia, & forma vt vnitas sunt.

Probatur quinto conclusio, quia totum compositum ex anima, & corpore, est quid distinctum realiter ab illis simul sumptis & vnitis: ergo & omne totum per se, à paritate rationis. Probatur antecedens, quia in illo toto subiectatur vnum per se accidens, nempe actus vitalis visionis ocularis, verbi gratia: sed non posset subiectari in illo nisi esset quid vnum distinctum à partibus, neque enim vnum accidens potest saltem naturaliter subiectari in diuersis subiectis.

10. *Obiicies primo*: vnum absolutum realiter distinctum à alio potest separari ab illo: ergo si compositum physicum dicatur aliquid realiter distinctum à suis partibus vnitis, poterit separari ab ipsis, aut saltem partes vnite, quæ sunt priores toto, possunt separari à toto: Maior est *Doct.* variis locis, & inde probat materiam posse esse sine forma.

Respondeo primo negando consequentiam, quia partes, vt vnitas non sunt quid absolutum, cum vt sic formaliter dicant ipsam vnionem, quæ est respectus.

Respondeo secundo distinguendo maiorem: si illud absolutum non dependeat essentialiter ab altero absoluto, transeat; si dependeat, nego; totum autem dependet essentialiter à materia & forma tam in esse, quam in fieri, cum sint partes essentialiter eius; vnde negatur consequentia.

Dices: ergo saltem partes vnite possunt esse sine toto, quia & sunt priores ipso, & non dependent essentialiter ab ipso, neque tanquam causa extrinseca, neque tanquam causa intrinseca.

Respondeo negando consequentiam, quia quatiuis non dependeat ab ipso, vt à priori, dependent tamen ab ipso vt à posteriori eo modo, quo agens, vt agens dependet ab effectu productio per ipsum; quemadmodum enim agens, vt agens, formaliter dicitur actionem, quæ nequit esse sine termino, ita materia & forma, vt vnitas dicunt formaliter ipsam vnionem, quæ est causalitas earum respectu totius; vnde non est mirum, quod non possint esse vt sic, quin sit totum, quamuis totum sit quid realiter distinctum ab ipsis.

Alij Scotiste, qui non tenent vnionem esse causalitatem materiæ & formæ respectu totius, magis premuntur hac difficultate, & ex illis, quidam dicunt, quod Deus possit conseruare materiam & formam, vt vnitas, sine toto: sed hoc communiter non reputatur probabile à Scotistis aut alijs. *Quidam vero alijs* negant sequelam, quia quando vniuntur, sufficienter applicantur, vt causent, neque Deus potest eorum causalitatem, quando sic applicantur, impedire, cum non possit eorum causalitatem supplere; illius enim causalitatem solum potest saltem directe impedire, quam potest supplere. Sed prima responsio mihi multo magis placet; & hæc facile impugnari posset: sicut enim potest impedire quo minus forma informet; quamuis non posset supplere eius causalitatem: cur non posset impedire quo minus materia & forma causarent totum, quamuis non posset sine ipsis illud causare?

11. *Obiicies secundo*: si daretur tertia entitas distincta à partibus, faceret compositionem cum ipsis, & sic ex ea & partibus resurgeret alia tertia entitas, & sic in infinitum.

Confirmatur, quia vel illa tertia entitas est aliquid compositum, vel non est: si non est, ergo non spectat ad compositum, nec compositum illam dicit; si sit, ergo est pars compositi, & consequenter compositum nihil dicit præter partes.

Respondeo negando sequelam, cum enim sit compositum ex partibus, non debet facere compositionem cum ipsis.

Confirmatur hoc, quia secundum aduersarios totum distinguitur realiter à qualibet parte seorsim sumpta, & tamen non facit compositionem cum illa, quia alias esset pars alicuius alterius compositi: ergo quamuis distinguitur à partibus simul sumptis, non deberet facere compositionem cum ipsis.

Ad confirmationem, quæ est vnicum *Arriagæ* fundamentum, propter quod potest oppositum nostræ conclusionis euidentissimum, explicatis terminis (nimirum omnia sua tam clara videntur huic auctori) *Respondeo* negando antecedens; est enim ipsum compositum, idem autem non est aliquid sui ipsius. Quod si consideretur tertia entitas per modum abstracti metaphysici à composito considerato vt concreto, sicut humanitas se habet respectu hominis, tum potest dici, quod sit aliquid ipsius metaphysicæ loquendo, sed non sequitur, quod sit pars physica ipsius, nec consequenter sequitur quin totum sit quid distinctum realiter ab omnibus partibus physicis, & ab omnibus, quæ physice in ipso includuntur.

12. *Obiicies tertio*: quæ constant iisdem partibus, sunt eadem realiter: sed totum constat iisdem partibus, quibus constant partes vnite: ergo est idem realiter cum ipsis.

Confirmatur primo, quia totum non potest habere diuersam essentiam à partibus: ergo non distinguitur realiter ab ipsis. Probatur antecedens, quia definitio & definitum non habent diuersas essentias: sed partes sunt definitio physica totius.

Confirmatur secundo, quia quod est de essentia rei, non distinguitur realiter ab ipso: sed partes sunt de essentia totius, ergo.

Respondeo distinguendo maiorem, eodem modo se habentibus, concedo; alio modo se habentibus, nego maiorem. Et similiter distinguo minorem, & nego consequentiam, quia partes vnite, licet constant materia & forma, non tamen materia & forma, vt vnitis; totum autem constat iis, vt vnitis.

Respondeo secundo negando minorem, quia partes unitae non constant partibus, sed sunt ipsamet partes, quibus constat totum.

Ad primam confirmationem respondeo negando antecedens, & distinguendo maiorem suae probationis, definitio physica & definitum, nego: definitio Metaphysica, concedo maiorem. Hæc responsio est optima ex suppositione, quod partes physice sint definitio physica, quæ suppositio fit in obiectione, alias enim non valet. In rei tamen veritate falsa est minor, quia illud est definitio, quod ponitur directe in definitione, aut saltem illud est de definitione: sed in definitione totius ponitur aliquid aliud directe præter partes, nam quando volo definire hominem physice, non debeo dicere: est anima rationalis & corpus unita, sed est aliquid constans anima rationali & corpore unitis: unde manifeste sequitur quod partes physice non sint definitio physica se solis.

Ad secundam confirmationem respondeo distinguendo maiorem: de essentia physica, id est, quod est pars essentialis physica eius, nego maiorem: quod est de essentia metaphysica, id est, quod est pars essentialis metaphysica eius, concedo maiorem, & similiter distinguo minorem, & nego consequentiam.

13. Obiicies quarto: si homo diceret tertiam entitatem, sequeretur quod Verbum Diuinum illam entitatem assumpsit, & quod eam etiam dimisit in triduo mortis, tum enim non exiit tertia entitas hominis: sed hoc est contra *Damasceum* asserentem, Verbum diuinum nihil eorum, quæ semel assumpsit, dimisisse.

Respondeo negando minorem, quia solum *Damasceus* vult, quod nullam dimisit partem eorum, quas assumpsit, cum quo potest stare, quod dimiserit aliquid, quod non erat pars. Posset etiam dici, quod nihil dimisit eorum, quæ assumpsit, ita ut post dimissionem existeret à parte rei; & hoc tantum voluisse *Damasceum*: hoc autem nobis non præiudicat, quia tertia entitas post dimissionem exiit in rerum natura. Quod autem non voluerit aliud quam hoc *Damasceus*, patet, quia sine dubio Deus assumpsit unionem animæ & corporis, alias non assumpsisset hominem, sed certum est, quod illam unionem dimiserit in triduo suæ mortis, sic tamen ut non existeret illa unio in rerum natura in illo triduo.

14. Obiicies quinto ex Ioanne à Sancto Thoma: aut non vniretur tertia entitas partibus, aut vniretur; si primum, ergo non spectarent ad eandem entitatem, si secundum, ergo ex illa & partibus sequeretur alia tertia entitas, & sic daretur processus in infinitum.

Confirmatur, quia aut perficeret partes, aut à partibus perficeretur; si primum dicatur, ergo esset actus partium. & sic materia supra actum formar alius actus adueniret quod videretur absurdum; si secundum, ergo perfectius perficeretur ab imperfectioribus.

Respondeo primo, quod non vniretur proprie loquendo quia sic vniri dicuntur, quorum vnum in alio non includitur.

Respondeo secundo, admissio quod vniantur, quia non possunt à se inuicem separari, negando consequentiam, quia tertia entitas est tertia entitas; & sicut ad unionem non sequitur unio, ita nec ad tertiam entitatem sequitur tertia entitas.

Ad confirmationem Respondeo, quod totum perficiatur à partibus, tanquam à suis constitutis, sicut perfectius potest perfici à minus perfectis.

15. Obiicies sexto: tertia entitas esset superflua, cum ea seclusa ipsæ partes unitæ haberent perfectam rationem totius, & præterea non potest assignari vtrum illa tertia entitas sit substantia, vel accedens: ergo.

Confirmatur, quia tertia entitas resultans ex anima rationali & corpore, non potest esse nec corporea, nec spiritalis: ergo non est asserenda talis entitas.

Confirmatur secundo, quia illa tertia entitas adueniret enti in actu: ergo est accedens, quod est absurdum.

Respondeo negando antecedens cum sua probatione: iam enim diximus partes unitas non esse totum, sed partes intrinsecas, & causas intrinsecas totius. Ipsa vero tertia ep-

titas sine dubio esset substantia, & quidem si esset completa, directe collocari deberet in prædicamento substantiæ, & ab ipsa immediate promanant proprietates substantiæ, non à partibus unitis.

Ad confirmationem respondeo, quod esset spiritualis partium & partim corporea: quid enim impedit quo minus tertia entitati hoc possit competere, sicut ipsis partibus unitis, quas aduersarii volunt esse vnum per se, competere? Posset tamen dici simpliciter corporea, quia effectus sequitur debiliorem partem, ut in aliis rebus patet, & quia, ut sit simpliciter corporea, sufficit ut includat aliquam partem corpoream; alias certe homo non posset collocari potius sub substantia corporea, quam sub substantia spirituali, quod est contra omnes.

Ad secundam confirmationem respondeo primo distinguendo antecedens: quod adueniret ipsi, tanquam forma in ipso recepta, transeat, quod adueniret ipsi tanquam aliquid ex ipso pullulans, & includens ipsummet, nego antecedens & consequentiam.

Respondeo secundo negando antecedens, quia partes unitæ non sunt ens vnum per se in actu, nisi causaliter, hoc est quatenus possunt causare aliquid per se vnum.

16. Obiicies septimo: si queretur, quod non includeret partes, nam quod distinguitur realiter ab alio, quatenus distinguitur ab illo, non includit illud aliud.

Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem dico: quod distinguitur ab alio realiter per modum includentis & inclusi, quo modo distinguitur totum à partibus, non obstante sua distinctione, includere illud aliud. Auctoritates omnes, quæ vel ex Patribus, vel ex Philosopho adducuntur contra conclusionem, nihil aliud volunt, quam quod totum nullam partem dicat præter materiam & formam, aut quod nihil constitutive dicat præter illas: quod est verum, quia tertia entitas neque est pars, neque constitutiva totius. Si autem in aliquibus auctoritatibus dicatur, quod partes sint totum, hoc debet intelligi causaliter, quia scilicet causant totum: qui modus loquendi est satis vtitus.

CONCLUSIO II.

17. Totum physicum, seu tertia entitas distincta realiter à partibus sumptis, & unitis, est quid compositum includens ipsas partes. Hæc est communior inter Scotistas & probatur quia alias non esset totum nec compositum, nec partes illæ essent partes & causæ intrinsecæ eius; nec materia esset causa materialis eius aut forma formalis, sed potius utraque esset causa efficiens ipsius; quod tam clarum videtur, ut mirum sit, quod ab illo posset in dubium verti.

CONCLUSIO III.

18. Totum illud physicum includit ipsas partes etiam secundum proprias rationes. Hæc etiam est omnium Scotistarum præter *Fabrum*, qui singularem in hac re doctrinam amplexus est: nam *theorema* 21. & in 3. diff. 9. asserit partes unitas transire, seu transigi in tertiam entitatem, & eas ut sic transactas perdere proprias entitates, nec distingui realiter à toto, quem dicendi modum excogitavit hic author ad maiorem facilitatem primæ conclusionis, quæ tamen hoc modo explicata multo esset difficilior & improbabilior.

Probatur autem conclusio contra Fabrum non solum auctoritate ipsius *Scoti* in 2. d. 12. q. 1. ubi expresse eam tenet, sed variis rationibus: *Primo* quia de potentia Dei absoluta nihil potest perdere propriam suam naturam. *Secundo*, quia alias secundum proprias suas naturas non essent partes intrinsecæ, nec causæ intrinsecæ totius, quo nihil absurdius. *Tertio*, quia nō daretur materia prima in rerum natura secundum propriam suam rationem, quia non datur de facto, nisi in aliquo toto: ergo si in toto perdit propriam naturam, & induit naturam alterius, non datur de facto secundum propriam naturam. *Quarto*, quia anima rationalis in toto existens habet aliquas suas proprias operationes ab ipsamet immediate procedentes, quæ nō procedunt immediate à toto homine: ergo manet secundum entitatem suam propriam in homine. *Quinto* quia alias totum physicum non esset compositum. *Sexto*, quia licet sequeretur aliquid distinctæ rationis ad unionem materiæ &

Tertia entitas est quid compositum includens partes.

Includit partes secundum proprias rationes.

& formæ, in quo non reperiretur materia & forma secundum proprias rationes, non esset verum quod materia & forma transiret in naturam ipsius; sicut nec ex eo, quod causa efficiens producat aliquid aliud à se, est verum quod transeat in naturam eius. *Septimo*, quia quæ semel distinguuntur realiter, nec de potentia Dei absoluta possunt identificari; ergo si materia & forma unitæ distinguantur realiter à toto, nec de potentia absoluta possunt ita transigi in ipsum, ut identificentur ipsi. Omitto alias plures rationes quibus hæc chimerica sententia, de cuius tamen inuentione sibi & *Scotistis* applaudit *Faber*, impugnari possit, quia hæc abunde sufficiunt, præsertim cum noua sit, & absque villo solido fundamento excogitata.

19. *Obiicies pro Fabro*: materia & forma constituunt compositum, quia sunt ipsum, & sunt etiam idem essentialiter compositum; ergo transeunt in ipsum.

Respondeo negando antecedens pro utraque parte: sed potius constituunt compositum, quia includuntur in ipso tanquam partes essentielles physice.

Obiicies secundo: sequeretur quod homo nihil esset, quia non corpus nec anima, nihil autem aliud est in homine: deinde sequeretur quod in animali nihil viveret quia vita est proprietas animæ, quæ dicitur esse distincta ab animali.

Respondeo negando utramque sequelam, & ad probationem primæ dico, quod quamuis nihil aliud sit in homine, tamen homo ipse est aliud, nempe compositum ex anima & corpore, quod sane non est nihil, sed aliquid positum reale magis perfectum, quam anima, aut corpus. Ad probationem secundæ sequelæ dico, quod ipsum animal viveret, quia est quid vegetabile & potens sentire: nec verum est quod vita, siue in actu primo, siue in actu secundo, sit proprietas animæ solius, nisi ad summum ut quo, quatenus scilicet est pars physica animalis, ratione cuius potissimum oritur, ut animal sit viuens, ita ut si non includeret animam tanquam partem, non viveret.

Tertio obiicit quod totum posset esse sine illis, si non transiret in totum: sed hoc est absurdum.

Respondeo negando maiorem, quia nihil potest manere sine partibus essentialibus, & quicquid habet partes essentielles, habet essentialem dependentiam ab illis, ut est euidentius. Immo si partes non manerent secundum proprias rationes in toto; verum esset quod totum absolute, & simpliciter posset esse & conservari sine partibus; unde maior esset vera potius in sententia *Fabri*, quam nostra & communis.

20. *Obiicies quarto*: sequeretur quod Verbum diuinum prius assumpsisset partes quam totum, quod est contra *Scotum* in 3. d. 1. q. 2. Probatur sequela, quia priores natura essent quam totum, & consequenter prius vnibiles ac unitæ.

Respondeo, si esset inconueniens quod prius assumerentur, negando sequelam maioris; quia quamuis essent priores natura, & etiam prius vnibiles, non tamen necessario deberent prius vniri, sed illud prius vniretur, quod placeret Deo prius vniri. An autem illud sit inconueniens, & quid sit dicendum de mente *Scoti* quantum ad hoc, examinandum est in materia de Incarnatione.

Obiicies quinto. Materia & forma causant compositum per conuersionem sui in ipsum, ut patet & ex differentia causarum intrinsecarum, & ex modis causandi materiæ & formæ; ergo &c.

Respondeo negando antecedens cum utraque probatione: imo potius ex utroque capite materia & forma debent manere in toto secundum proprias rationes.

CONCLUSIO IV.

21. Datur distinctio realis mutua inter totum ac partes simul sumptas ac unitas, ita ut totum distinguatur realiter & essentialiter à partibus sic sumptis, & partes sic sumptæ distinguantur realiter & essentialiter à toto. Hanc tenet *Mastrius*, & est conformior principiis *Scoti* contra *Trombeta* tract. de formalitatibus, qui negat distinctionem realem mutua, contra *Canonicum* hic q. 5. qui negat essentialem mutua, quamuis existimem reuera cum his

authoribus non esse aliam quæstionem quam de nomine, cuius tamen illi peiorem partem habent.

Probatur autem conclusio, quia quam verum est dicere quod partes unitæ distinguantur à toto, & quod habent distinctam essentialiam à toto, tam verum est dicere, quod totum sit distinctum ab illis, & habet distinctam essentialiam ab illis: ergo mutuo distinguuntur distinctione reali & essentiali; quid enim aliud requiri possit ad distinctionem mutuam talem, nisi quis velit fingere acceptionem nouam distinctionis mutue absque vlla causa?

Confirmatur primo, quia ex eo quod partes causent, dicuntur distingui realiter à toto: ergo ex eo quod totum causetur realiter à partibus, debet distingui realiter ab ipsis, & consequenter datur distinctio realis mutua inter totum & partes.

22. *Confirmatur secundo*, quia totum est quid essentialiter includens partes, & prærequirens illas simul sumptas & unitas ex natura sua intrinseca: sed partes unitæ non sunt essentialiter quid includens partes unitas, aut eas simul sumptas & unitas præsupponens: ergo sunt essentialiter, & ex natura sua intrinseca distinctæ à se inuicem mutuo. Nec refert quod partes unitæ sint omnia & sola, quæ constituunt physice ipsum totum; & quod hoc non habeat alias partes nec principia constitutiva præter illas: imo ex hoc ipso colligitur, quod totum distinguatur essentialiter ab illis, & illa ab illo. Nec etiam refert, quod totum nequeat existere sine partibus & quod partes possint existere sine toto, nam in primis, si ex eo quod totum nequeat existere sine partibus, sequeretur quod non distingueretur ab ipsis, quandoquidem partes unitæ nequeant existere sine toto, sequeretur quod partes illæ non distinguerentur à toto: & quod sic non daretur distinctio non mutua inter illa. Deinde quod possit totum existere, aut non possit existere sine partibus, non impedit distinctionem realem, quia alias Filius æternus, qui nequit esse sine Patre, non distingueretur realiter à Patre; imo ex eo quod totum sit talis entitas, quæ nequeat existere sine partibus, non vero è contra, sequitur quod sit distinctæ rationis ab illis.

QVÆSTIO II.

An totum integrale, ac totum per accidens distinguatur realiter à suis partibus

23. **N**ON solū quia in se vtilis est resolutio huius quæstionis, sed etiam quia ex ea sumi solet argumentum pro vel contra resolutionem quæstionis præcedentis, videbatur hic statim tractanda, antequam cetera, quæ ad compositum substantiale pertinent, adderentur.

Prima sententia est, omne totum integrale distingui realiter à suis partibus simul sumptis, & unitis, non minus quam totum essentielle; totum vero per accidens non distingui à suis partibus. Hanc tenet *Rocus* secularis quidam *Scotista* non indoctus 1. *Physic.* q. 6.

Secunda sententia est totum heterogeneum distingui à suis partibus, non vero totum homogeneum, nec totum per accidens: sic *Tartareus* 1. *Physic.* q. 2. dub. 2. & *Schegma* ibidem digressione 3. q. 4.

Tertia sententia est nullum totum integrale aut per accidens distingui à suis partibus. Quam sequitur *Trombeta* tract. formalitatum, *Mastrius* diss. 5. q. 13. a. 2. & *Fuentes* hic q. 6. difficult. 1. a. 6. quantum ad omne totum integrale.

Quarta denique sententia est, totum per accidens etiam distingui à partibus realiter: ita *Fuentes* supra art. 7.

24. *Pro resolutione* suppono totum integrale esse aliquid constitutum ex diuersis partibus, aut natis esse extra se inuicem localiter, ut homo constituitur ex manu, pede, capite &c. & aqua integra ex hac parte aquæ & illa parte; aut saltem non pericientibus se inuicem per modum actus & potentie, ut calor ut octo constituitur ex pluribus gradibus caloris natis recipi in eadem parte subiecti. Huiusmodi autem totum distinguitur in totum homogeneum, quod conflat ex partibus integralibus eiusdem rationis, ut aqua conflat ex hac & illa parte aquæ; & in heterogeneum quod conflat ex partibus integralibus diuersæ rationis ut homo conflat ex manu, pede, capite &c. Deinde

Datur distinctio realis mutua inter totum & partes.

Quid totum integrale.

orum per accidens est, quod componitur ex subiecto & accidente sibi inhaerente, ut album ex pariete & albedine, substantia quanta ex substantia & quantitate; intellectus intelligens ex intellectu & intellectione.

CONCLUSIO

25. Nullum totum integrale distinguitur realiter à suis partibus. Hanc tenent auctores tertiae & quartae sententiae contra primam & secundam, & colligitur ex Scoto 4. dist. 17. q. 4.

Probat^{ur} primo de toto homogeneo, quia totum distinctum realiter à partibus debet esse distinctum rationis ab illis: sed tota aqua integralis non est distincta rationis ab illa parte integrali. Probat^{ur} antecedens, quia partes, ex quibus nata est sequi tertia entitas debent accipere aliquod complementum ab illa tertia entitate, & debent esse essentialiter incompletæ: sed si sint eiusdem rationis cum tertia sua entitate, hoc erit falsum: ergo non possunt esse eiusdem rationis, sed debent esse diuersae rationis ab illa.

Probat^{ur} secundo, quia sequeretur quod materia prima posset produci de nouo ac destrui à causa secunda, quia posset discontinuari & continuari de nouo à causa secunda; & quando discontinuaretur, destrueretur tertia entitas resultans ex partibus eius continuatis, quæ tertia entitas esset materia prima; & quando continuarentur eadem partes, aut aliæ de nouo, produceretur eadem tertia entitas, aut alia, quæ etiam esset materia prima; ergo posset produci ac destrui de nouo à causa secunda, quod est absurdum, cum supponatur esse ingenerabilis ac incorruptibilis terminatiue.

Deinde, vnum indiuiduum semel corruptum iterum reproduceretur naturaliter, nam si resultat ex duabus aquæ partibus tertia entitas distincta aquæ, si separantur illæ partes, destrueretur illa tertia entitas, & si iterum coniungantur (quod videtur optime fieri posse) iterum produceretur illa ipsa tertia entitas, tunc enim est idem numero compositum quando sunt eadem numero partes constituentes: sed hoc etiam videtur absurdum, quamuis enim secundum Scotum posset naturaliter idem numero effectus produci in sensu, in quo infra dicemus lib. 2. tamen quod de facto producat^{ur} vnam, nec a Scoto, nec ab ullo asseritur.

26. Probat^{ur} tertio, & mihi principaliter, tam de toto homogeneo quam de heterogeneo (de quibus sane est eadem ratio quantum ad hoc, nam quod vnum ex illis sit constatum ex partibus diuersæ rationis, & aliud non, nihil facit ad hoc propositum, si bene res consideretur, unde magis consequenter loquuntur auctores primæ sententiæ quam secundæ) Probat^{ur} inquam de vtroque toto quia si vllum ex ipsis diceret tertiā entitatem, deberet ipsi aliquid competere, quod non posset competere partibus vnitis, si per impossibile ponerentur esse vnitæ absque illa tertia entitate, sicut conuenit toti composito ex materia & forma recipere quantitatem, quod non competeret partibus vnitis secundum se, quandoquidem vnum numero accidens nequeat subiectari in pluribus subiectis realiter distinctis; & sicut competit toti composito ex anima & corpore recipere visionem & alios actus vitales, qui non possunt recipi in partibus vnitis propter eandem rationem, si enim aliquid huiusmodi non competeret ipsi, esset omnino inutilis & frustranea illa tertia entitas: sed nihil prorsus competit de facto toti integrali, siue heterogeneo, siue homogeneo. Quod non competit omnibus partibus vnitis, si per impossibile aut possibile ponerentur absque tertia entitate ex ipsis resultante; ergo nullum totum integrale siue homogeneum siue heterogeneum dicit tertiā entitatem.

27. Obiicit^{ur} primo: Totum integrale fit ex suis partibus tanquam ex causis materialibus, non minus quam totum essentialiale fit ex materia: ergo distinguitur à partibus simul sumptis & vnitis; vel certe non valet argumentum quo Scotista communiter vtuntur ad probandum totum essentialiale distingui à partibus ex eo quod causetur ab illis. Respondetur primo, hoc argumentum æque concludere de toto per accidens ac de integrali, & tamen aduersarij ne-

gant totum per accidens distingui à partibus simul sumptis & vnitis: ergo non debent vti illo contra hanc conclusionem.

Respondetur secundo negando antecedens: non enim fit ex ipsis tanquam ex causis materialibus, quæ simul sumptæ vere influant in ipsum, sed solum fit ex ipsis, quatenus quælibet ex illis, includitur in ipso: totum autem essentialiale fit ex partibus ita, vt partes simul sumptæ & vnitæ causent ipsum, quod non ex causatione quomodocunque colligitur, sed ex causatione vera & reali, quam ex aliis capitibus colligere debemus competere partibus phisicis respectu totius, quæ capita non adsunt ad probandum quod similis causatio competat partibus integralibus respectu totius integralis.

Alias obiectiones plures contra conclusionem ex Tartareto & alijs videre licet, quas, quia sunt facillimæ solutionis, non placuit hic proponere.

CONCLUSIO II.

28. Totum per accidens non distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis. Hæc est communissima Scotistarum cum ipsomet Scoto 3. d. 2. q. 2. n. 10. vbi dicit totum per se distingui à toto per accidens ex eo quod totum per se dicat tertiā entitatem, totum vero per accidens non dicat.

Nec sufficit responsio Fuentis dicentis quod non distinguat Deceptor vtumque totum per hoc, quod vnum dicat tertiā entitatem & alterum non; sed per hoc quod vnum dicat tertiā entitatem per se vnam, & alterum dicat tertiā entitatem per accidens vnam. Hæc inquam, responsio non sufficit, tum quia Scotus absolute negat totum per accidens dicere tertiā entitatem, non addendo neque quod sit vna per se neque quod sit vna per accidens; tum quia volebat probare quod totum physicum diceret tertiā entitatem distinctam à partibus, non curando an esset vna per se, nec ne, & ad id probandum dixit, quod aliàs non distingueretur à toto per accidens.

Nec refert etiam, quod Scotus ibidem num. 7. dicat totum per accidens esse magis vnum quam totum per aggregationem, & non esse suas partes: nam hoc potest esse verum, quamuis non dicat tertiā entitatem, erit enim magis vnum quia partes eius sunt magis vnitæ, & non erit suæ partes, quia partes eius possunt esse, quin ipsum sit, ablata scilicet inhaerentia accidentis ad subiectum, & manente ipso accidente ac subiecto in rerum natura, vt potest contingere de potentia absoluta. Vnde expressè Scotus in eodem numero nihil ponit superaddi partibus per totum accidentale præter illam inhaerentiam: ergo, inquit, totum (intellige per accidens) supra partes addit informationem & receptionem, quibus vnum accidentale dicitur à partibus realiter distinctum.

29. Probat^{ur} autem conclusio ratione, qua probauimus totum integrale non distingui realiter à suis partibus, quia nihil potest facere aut præstare tertia entitas, quæ resultaret ex albedine inhaerente subiecto, quod ipsum subiectum cum albedine inhaerente præstare non posset, si per impossibile aut possibile non resultaret illa tertia entitas & consequenter non est asserenda.

Probat^{ur} secundo argumento communi, quia illa tertia entitas, quæ resultaret ex substantia, verbi gratia, & albedine sibi inhaerente, vel esset substantia, vel accidens, neque enim videtur posse dari medium inter hæc: non esset substantia, quia includeret accidens tanquam partem essentialiorem non esset accidens, quia includeret substantiam tanquam partem essentialiorem; accidens enim nequit esse pars essentialis substantiæ, neque substantia accidentis.

Confirmatur, quia si daretur tertia entitas resultans ex subiecto albedinis & ipsa albedine inhaerente, æque primo importaret vt amque partem, & sic album non diceret formaliter albedinem, & connotatiue subiectum contra Scotum & Scotistas vbique.

30. Obiicit^{ur} fundamentum Fuentis: Ideo totum essentialiale distinguitur à partibus, quia vltius includit actuale causationem partium: sed totum per accidens vltra vnionem addit actuale informationem accidentis, & receptio

Totum integrale non distinguitur à partibus realiter.

ceptionem subiecti; ergo distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis.

Respondeo distinguendo maiorem: causationem, per quam aliquid aliud realiter distinctum ab illis simul sumptis & vnitis, causaretur, concedo maiorem, causationem, per quam nihil aliud realiter distinctum causatur, nego maiorem & concessa minori (quamuis negari possit, quia receptio formaliter est ipsamet vno subiectata in subiecto, & terminata ad accidens) nego consequentiam, quia per receptionem & informationem nihil aliud realiter distinctum à subiecto, & forma inhærente ipsi producit aut causatur. Quod si ex eo quod totum per accideus includat vnionem, ac informationem & receptionem deberet dicere tertiam entitatem, profecto totum integrale etiam diceret tertiam entitatem contra *Fuentes*, quia includit vnionem & continuationem huius partis cum illa parte; nec potius debet oriri tertia entitas ex vnione & receptione ac informatione formæ accidentalis, quam ex vnione & continuatione partis substantialis. Vnde non videtur satis consequenter philosophatus hic author, dum negat totum integrale dicere tertiam entitatem; & id asserit de toto per accideus.

QVÆSTIO III.

Virum compositum substantiale includat essentialiter materiam ac vnionem.

31. **C**ertum est quod præter formam materia etiam & vnio includatur in toto quouis composito substantiali, quia alias non esset compositum substantiale per se vnum, sed controuertitur, an includatur in ipso essentialiter: *Auerroes 7. Metaph. text. 21. Iandunus ibid. q. 12. & alij* negant materiam esse de quidditate compositi, sed concurrere tantum ad constitutionem ipsius, tanquam vehiculum formæ. *Durandus in 4. d. 44. q. 1.* concedit materiam in communi esse de essentia compositi in communi; negat vero materiam in particulari esse de essentia compositi in particulari: & hanc sententiam probabilem sentit *Fuentes hic q. 2. difficult. 5. a. 1. n. 69.*

Magister sententiarum 4. d. 44. q. 1. fatetur eum communi sententia materiam esse de essentia compositi substantialis, sed negat ad essentiam hominis pertinere ullam materiam, quam nutritione acquirit; sed solummodo illam materiam, quam acquisiuit à parentibus.

Communis sententia est non solum materiam in communi, esse de essentia, & quidditate compositi in communi, sed particularem materiam esse de quidditate & essentia compositi in particulari. Hanc tenet *Dottor in 3. d. 22. q. 1. & S. Thomas 1. p. q. 75.* quos præter suos sequuntur recentiores fere omnes & nominatim *Auersa q. 19. sec. 4. Amicus 1. Phys. trac. 6. q. 6.*

Quantum autem ad vnionem, *Scotista* communiter cum ipso *Scoto in 3. d. 2. q. 2.* negant eam esse de essentiali conceptu, aut quidditate compositi, sed conditionem ad ipsius constitutionem requisitam. Quam sententiam etiam tenet *Soncinas 7. Met. q. 42 & Vasques in eam inclinare videtur tertia parte disp. 19. n. 20. Auersa vero supra sec. 7. Amicus trac. 1. a. 10. Hurtadius disp. 6. sec. 3. & alij* putant illam essentialiter includi in ipso, seu esse de essentia ipsius.

CONCLUSIO I.

32. *Non solum materia in communi est de essentia, & quidditate compositi in communi, sed materia particularis est de essentia compositi particularis.* Hæc est communissima cum *Dottore in 3. d. 22. contra Auerroistas* quoad vtramque partem, & contra *Durandum* quoad secundam partem.

Probat prima pars autoritate *S. Augustini lib. 19. de ciuit. c. 3.* ubi ait animam non esse totum hominem, sed partem meliorem eius: ergo præter animam includit essentialiter aliam partem: quæ autoritas confirmatur, quia si anima esset totus homo essentialiter, profecto nunquam interiret homo ullus, quia nunquam ullius hominis interiret anima, quod est absurdum. *Damasceus* etiam probat Christum debere habere veram carnem, quia alias non esset verus homo: quæ cōsequencia non valeret, si caro non esset de essentia eius: ergo caro est de essentia hominis, &

consequenter à pari materia debet esse de essentia compositi.

Probat eadem pars ratione, quia compositum, tam per se includit materiam, quam formam, & ex hoc habet esse compositum, eatenus enim includit formam, quatenus forma est pars eius: sed materia etiam est pars eius, aliàs forma non esset pars eius; quidquid enim est pars, debet habere aliud cum quo sit pars, vt est euidens, nec vlla prorsus est ratio cur per se essentialiter non includeret materiam: & si *Philosophus*, cuius soli auctoritati inniti videntur aduersarij, dixisset materiam non esse de essentia compositi, potius esset auctoritas eius neganda, quam conclusio tam clara. Dicere autem, quod materia sit pars intrinseca compositi, ac de substantia eius, non vero de quidditate, est prorsus nugari verbis: idem enim reuera est aliquid esse partem intrinsecam ac substantialem rei, ac esse de quidditate eius. Et deinde si materia, quamuis sit pars intrinseca compositi, non sit tamen de quidditate eius, profecto nec forma etiam erit de quidditate eius. Similiter dicere quod includat materiam, non vt partem, sed vt vehiculum formæ, est etiam nugari, quia nisi includeret eam vt partem, non esset compositum, nec forma esset pars eius, quod est absurdum.

33. *Probat* secunda pars contra *Durandum*, quia sicut se habet materia vt sic ad compositum vt sic, ita materia particularis ad compositum particulare: ergo si materia vt sic sit de essentia compositi vt sic, materia in particulari erit de essentia compositi in particulari.

Confirmatur: ideo materia vt sic est de essentia compositi vt sic, quia compositum vt sic constituitur ex materia vt sic, sed compositum in particulari constituitur ex materia in particulari.

Probat secundo, quia forma particularis est de essentia compositi particularis, etiam secundum *Durandum*, & non solum forma vt sic est de essentia eius: ergo etiam materia particularis, & non tantum vt sic, est de essentia eius.

Confirmatur, quia sicut non esset idem numero compositum, quando non esset constans eadem numero forma, ita non esset idem numero, quando non constaret eadem numero materia; nec prorsus potest dari in hoc vlla disparitas: ergo sicut forma in particulari est de essentia compositi particularis, ita materia in particulari erit de essentia eius. Vbi aduerte non velle me, quod singularitas materiæ aut formæ etiā sit de essentia compositi, seu quod sit ipsi adeo intrinseca, vt non esset idem numero compositum, si non constaret eadem numero materia ac eadem numero forma, & quod tam sit ipsi essentialis materia particularis, quam forma particularis.

34. *Obiicit* contra primam partem varia loca *Philosophi*, quibus indicare videtur formā esse quod quid rei, & materiam non esse de definitione rei: quæ loca in specie proponuntur & solvuntur à *Mastrio d. 5. q. 12. art. 1.* nec placuit hic iis recensendis, aut minutim examinandis inhætere, cum non contineant quidam rationis.

Respondetur breuiter & facile, solum voluisse *Philosophum*, quod materia non sit de essentia corporum sic, vt per ordinem ad materiam possint inter se specie distinguere corpora: quod certum est, quia materia omnium corporum, saltem sublunarium, de quibus *Philosophus* principaliter ag. bat, est eiusdem rationis, vnde distinctio essentialis & specifica, quam habent inter se, à sola forma desumi debet, tanquam à principio physico; & in hoc sensu sola forma est quod quid rei.

Possent etiam responderi alio modo, quod per formam, quam dicit esse quod quid rei, & per materiam, quam dicit esse extra definitionem rei, intelligat per formam quiddem naturam metaphysicam, & per materiam singularitatem, quam sæpe vocat materiam, & sine dubio non est de essentia rei, nec ponenda in eius definitione: quocumque autem ex his modis intelligatur, nihil facit contra conclusionem, & vt supra dixi, si non posset *Philosophus* commode explicari, potius esset neganda eius auctoritas.

35. *Obiicit secundo*: homo & equus distinguuntur in essentia: sed non distinguuntur in materia: ergo materia non est de essentia ipsorum.

Qo 3

Respon

Respondeo negando consequentiam: quia ut distinguantur in essentia, sufficit quod distinguantur in aliqua parte eius: nec est necesse ut non conueniant in vlla parte, ut patet euidenter in homine & bruto, qui conueniunt in animali, & tamen distinguuntur specificè, propter rationalitatem vnius, & irrationalitatem alterius.

Obiicies tertio, materia artefactorum, non est de essentia eorum, verbi gratia lignum non est de essentia scamni: ergo nec materia corporum naturalium erit de eorum essentia.

Respondeo negando consequentiam, & disparitas est, quod artefacta non sint vnum per se, sed vnum per accidens: atque adeo non dicuntur æque primo ac directe vtramque partem, materiam scilicet & formam, sed vnam partem directe & formaliter; alteram indirecte ac connotatiue: vnde vnam tantum partem dicunt essentialiter: corpora vero naturalia sunt vnum per se, & æque primo ac directe dicunt vtramque partem: quare vtrique pars debet esse de eorum essentia. Quod si artefacta similiter æque primo, ac directe dicerent vtramque partem, vtrique pariter pars esset de eorum essentia, & qui id teneret, negaret antecedens obiectionis.

Respondeo quarto contra secundam partem: eadem numero materia esset de essentia diuersarum specierum: sed hoc videtur absurdum. *Respondeo* negando minorem; cur enim id esset absurdum?

Obiicies quinto contra eandem sequeretur quod non esset idem numero homo in initio vitæ ac in fine, præsertim si viueret longo tempore: sed hoc est absurdum: ergo quamuis materia ut sic sit de essentia compositorum substantialium; materia tamen particularis non potest esse de eorum essentia. Probat per sequele maiorem, quia non constat eadem numero materia singulari initio ac fine vitæ: nam in initio habet materiam acceptam à parentibus, quæ materia postea paulatim perditur, & per nutritionem acquiritur alia materia loco eius.

Propter hanc obiectionem potuit *Magister sententiarum* induci ad sentiendum, quod non perdat materia accepta à parentibus, & quod quæcunque alia materia per nutritionem acquisita non sit de essentia hominis: iuxta quam doctrinam negaret maiorem cum sua probatione.

Sed quia statim dicemus hanc doctrinam esse falsam, *respondetur aliter* negando sequelam maiorem, & ad probationem dico primo, quod si valeret, probaret etiam formam substantialem materialem non esse de essentia corporum contra ipsum *Durandum*, & omnes, quia sicut perduntur partes materiæ, & acquiruntur aliæ, ita etiam perduntur partes formæ, & acquiruntur aliæ partes, nec partes materiæ possent pardi, aut acquiri, nisi simul cum partibus formæ, ut est certissimum.

Dico secundo, licet perdantur aliquæ partes, & acquirantur plures aliæ, esse tamen eundem numero hominem in principio ac fine vitæ, tum quia constat eadem numero anima, quæ est pars principalior eius, tum quia manent etiam aliquæ partes eadem numero materiæ per totum vitæ tempus: tum etiam quia illæ partes, quæ perduntur & acquiruntur, succedunt sibi tali modo, ut non appareat mutatio facta nisi accidentaliter; vnde quamuis reuera physice loquendo non esset idem numero homo, quia non est constans iisdem numero partibus omnibus, tamen moraliter est habendus pro eodem numero. Quæ solutio prædictæ obiectione modo sufficit, nam postea iterum de ea agetur in libris de generatione.

CONCLUSIO II.

37. *Non solum pars materia accepta à parentibus, sed etiam illæ, quæ acquiruntur nutritione, sunt de essentia hominis.* Hæc est communis contra *Mastrium*, & probatur quia illæ partes informantur anima ac forma hominis non minus quam aliæ partes: ergo non minus sunt de essentia eius, eatenus enim vllæ partes materiæ sunt de essentia hominis, quatenus informantur ab ipsius anima, atque adeo intinsece per se primo includuntur in homine.

Confirmatur, quia est eadem prorsus ratio de partibus per nutritionem acquisitis, ac de partibus acceptis

in generatione: ergo idem dicendum quantum ad hoc de vtriusque.

Obiicies illud Christi: quod intrat in os non coinquinat animam, sed vadit per secessum: ergo non conuertitur in substantiam hominis, & consequenter non acquiruntur nouæ partes materiæ, quæ sint de essentia hominis.

Respondeo explicando dictum illud Christi, quod intelligendum est sic, ut quod intrat per os, vadat per secessum quantum ad partes impuriore, quæ possent coinquinare aut animam aut hominem; non vero sic ut vadat per secessum quantum ad omnes partes materiæ: ita ut nulla prorsus conuertatur in substantiam hominis.

38. *Obiicies secundo:* Illa pars non est de essentia hominis, sine qua manet essentialiter totus homo, sed ante nutritionem erat essentialiter totus homo, hoc est animal rationale: ergo pars acquisita per nutritionem non est de essentia eius.

Respondeo primo, quod hinc probaretur partem aliquam acquisitam per generationem non esse de essentia hominis: tum quia ea perdita adhuc manet homo essentialiter, tum quia quamuis non acciperet in generatione digitum aut aliquam aliam partem, supposito scilicet quod nasceretur mancus, aut claudus, aut monocus, adhuc esset homo completus essentialiter, quantum ad hoc quod esset animal rationale: ergo aliqua pars acquisita per generationem non est de essentia hominis.

Respondeo secundo distinguendo consequens: non est de essentia eius taliter, quin manentibus aliis partibus esset animal rationale sine illa, concedo consequentiam; non est de essentia eius taliter, quod non sit de integritate hominis tam bene quam aliæ partes acquisitæ per generationem, & taliter etiam quod si deficerent aliæ partes, quas supplet, & non succederet illa, remaneret homo in statu animalis rationalis, nego consequentiam.

36. *Ut melius intelligatur hæc responsio*, aduertendum aliquas partes integrales hominis esse requisitas necessario ad hoc, quod ipse homo possit sub denominatione hominis remanere in suo esse, alias vero esse partes integrales, quæ ad hoc non sunt necessariae, licet sint de integritate hominis, & seruiant ad multas functiones faciendas. Facile est autem assignare multas partes posterioris generis, tales enim sunt quilibet manus, quilibet pes, quilibet auris, & multæ aliæ notabiles partes corporis, nam non obstant quod separetur manus aut pes ab homine, posset adhuc manere homo sub denominatione hominis, sub qua etiam denominatione maneret, quamuis multæ partes ex his simul separentur ab ipso: separetur autem capite non manet sub denominatione hominis reliquum cadauer, nec contingit hoc solum, quia non solet viuere separato capite, quia etiam quamuis viueret non esset appellandus homo, vnde caput censendum est pars prioris generis. Quæ autem aliæ determinatæ partes sint ad hoc necessariae, & sufficientes, non est tam facile assignare, nec necessarium est: sufficit scire quod illæ partes, quæ sufficiunt ut homo possit sentire, & discurre, sint sufficientes ut maneat in esse hominis, quatenus homo est animal rationale, quia animal rationale non est aliud quàm substantia corporea sensitiva potens discurre, & homo essentialiter nihil aliud importat quàm talem substantiam: quare partes huiusmodi censendæ sunt de essentia hominis strictè loquendo, & aliæ partes, sine quibus, adhuc haberet hanc rationem homo, non sunt de essentia eius strictè, quamuis sint de integritate, & complemento substantiali integrali eius. Potest etiam fieri ut per nutritionem acquirantur partes vtriusque rationis, successiue tamen, adeo ut si aliqua tota pars acquisita per nutritionem multorum annorum deperderetur, supposito quod ante perierint partes, quibus successerant, homo non maneret amplius in rerum natura sub denominatione hominis; ut si, verbi gratia, maxima pars cordis habita à parentibus perisset successiue, & eius loco successiue aduenirent aliæ partes per nutritionem, sine dubio separatis partibus illis acquisitis, & non suppleto illarum defectu per alias partes, non maneret cor secundum rationem illam, secundum quam esset necessarium ad conseruationem hominis; vnde eadem

Quomodo
vnius ho-
mine maneat
idem in
principio,
& fine, iuxta
vitæ.

Partes ma-
teriæ ac-
quisitæ per
nutritionem
sunt de
essentia
hominis.

eadem ratione, qua partes illæ cordis acquiruntur per generationem sunt de essentia hominis, etiam illæ partes acquiruntur per nutritionem sunt de essentia eius. Per quod manet quoque soluta hæc obiectio, si proponeretur contra præcedentem conclusionem.

CONCLUSIO III.

Vnio non est de essentia compositi substantialis. Hæc est *Scoti* supra cum omnibus suis contra recentiores communiter supra citatos. Probatur quia vnio, ut suppono ex dictis, est respectus, substantia autem composita, v. g. homo, ignis, lapis, est quid absolutum: sed respectus nullus, & præsertim nullus respectus actualis (qualis est vnio) potest esse de essentia vllius absoluti, quia aliàs esset & non esset absolutum; esset enim ex hypothesi, & non esset, quia inuolueret essentialiter respectum; ergo vnio nequit esse de essentia eius.

Dices cum Amico: si respectus nequeat esse de essentia substantiæ, materia & forma nequeunt esse de essentia eius: sed hoc est contra nos: ergo & illud vnde sequitur, & consequenter falsa est minor nostræ probationis. Probatur sequela maioris, quia materia & forma dicunt essentialiter respectus transcendentales.

Respondeo negando sequelam maioris cum sua probatione: quamvis enim in materia includantur tales respectus, non tamen essentialiter, sed tanquam proprietates competentes ipsi per se in secundo modo dicendi, non in primo; vnde neque debent ex hoc capite includi in essentia compositi.

41. Melior replica contra præmissam rationem, quæ est præcipua, quæ adduci potest, pro hac conclusione est, quod tribus modis potest considerari aliquid esse absolutum: *primo modo*, quatenus non refertur essentialiter ad aliquid aliud, licet includeret essentialiter respectus, quibus suæ partes copularentur inter se, & in hoc sensu concedi posset compositum physicum esse quid absolutum, quamvis includeret essentialiter vnionem suarum partium, quia per illam vnionem non refertur ad aliquid aliud, sed potius partes ipsius referuntur ad se inuicem. *Alio modo* aliquid potest esse absolutum, ita ut nullo modo essentialiter includat respectum, neque quo ipsum referatur ad aliud, neque quo partes copulentur inter se; & in hoc sensu Angelus est quid absolutum, non vero vlla substantia composita physice. *Tertio denique modo* aliquid potest vocari absolutum, quod potest metaphysice concipi secundum genus & differentiam, quibus essentialiter metaphysice constituitur, quin intelligatur vlllo modo includere respectum, præsertim actuale; & in hoc sensu etiam compositum physicum, verbi gratia homo, & lapis, & similia sunt entia absoluta, quamvis essentialiter includeret vnionem in essentia sua physice considerata, quia certum est, quod homo posset intelligi ut animal rationale, quin intelligatur includere vllam rationem vnionem aut alium respectum actuale.

42. Iuxta hanc doctrinam responderi posset in forma ad nostram probationem distinguendo maiorem pro secunda parte: substantia composita est quid absolutum in primo & tertio modo, quo accipitur ens absolutum; concedo maiorem in secundo modo, nego maiorem; & distinguo etiam minorem: respectus non est de essentia absoluti, capiendū ens absolutum secundo modo, concedo minorem; non est de essentia absoluti, si capiatur absolutum primo aut tertio modo, præsertim loquendo de respectu quo partes absoluti vniantur inter se, nego minorem & consequentiam.

Hæc replica videtur mihi probabilissima; nec fortassis est contra *Scotum* ipsum, si bene intelligatur: sed quia communiter intelligitur iuxta conclusionem, ut iacet à *Scotistis*, responderi potest primam & tertiam acceptionem entis absoluti esse valde improprias & excogitatas gratis ad enervandam prædictæ rationis vim; vnde cum composita physica dicantur absoluta simpliciter absque addito, debet hoc intelligi sic, ut nullo modo includant essentialiter respectum vllum præsertim actuale, & hoc tan-

to magis, quod nihil impediatur, ut patebit ex solutione obiectionum.

43. Obiicies primo ex Auerſa q. 19. sect. 7. de essentia compositi est ipsamet compositio: sed vnio est compositio eius: ergo vnio est de essentia ac intrinseca ratione compositi.

Confirmatur, quia compositum & vnium sunt idem omaino; sed vnio est de intrinseca ratione vniri formaliter loquendo, non minus quam album est de intrinseca ratione albi: ergo compositio est de intrinseca ratione compositi.

Confirmatur secundo, quia compositum est concretum dicens formaliter compositionem: sed illud quod formaliter dicit concretum, est de intrinseca & essentiali ratione eius, qua tale formaliter: ergo compositio, & consequenter vnio, quæ est ipsamet compositio, est de intrinseca ratione compositi.

Respondeo distinguendo maiorem: de essentia compositi est compositio, id est coniunctio formæ suarum partium nego maiorem; est compositio, id est, de essentia sua est quod sit entitas, quæ coalescit ex partibus, concedo maiorem: distinguo etiam minorem; vnio est compositio, id est, coniunctio partium compositi, concedo minorem; est compositio id est, est id, ratione cuius formaliter competit compositio esse entitatem, quæ coalescit ex partibus, nego minorem & consequentiam.

44. Ad primam confirmationem respondeo, negando maiorem proprie loquendo, nam verum est quod materia sit vnita, & tamen non est verum quod sit composita proprie loquendo. Itaque vnium est illud quod vniri alteri, compositum vero, præsertim substantiale, non est quod vnitur alteri, ut patet, sed est quid constatum ex aliis. Quod si quis velit dicere quod id, quod vnitur alteri, componatur cum illo, & quod idem sit vniri illi, ac componi cum illo, potest distinguere maior; compositum, id est id, quod componitur cum alio, idem est ac vnium, concedo maiorem; compositum, id est, id quod fit ex aliis, idem est ac vnium, nego maiorem & concessa minori distinguo consequens: ergo compositum, id est, id quod componitur cum alio, dicit formaliter compositionem, quæ est vnio, concedo consequentiam; ergo compositum, id est, id quod componitur ex aliis, dicit formaliter compositionem, quæ est vnio, nego consequentiam.

45. Ad secundam confirmationem respondeo distinguendo maiorem: compositum est concretum dicens formaliter compositionem, quæ est vnio, eo modo quo materia vnita dicit illam formaliter, nego maiorem; est concretum dicens formaliter compositionem, id est entitatem, quæ constat ex partibus, concedo maiorem, & concessa minori distinguo consequens: ergo dicit formaliter compositionem, quæ est relatio vnionis, nego consequentiam; quæ est ipsamet entitas constata ex partibus, concedo consequentiam. Itaque compositum, quod constat ex partibus, est concretum substantiale, sicut homo, & abstractum ipsius est ipsamet sua entitas considerata, ut forma totalis metaphysica dans ipsi suum esse, sicut humanitas est abstractum hominis, & albedinitas est abstractum albedinis, non vero est concretum accidentale, sicut album, dicens formaliter ipsam vnionem, qua coniunguntur ipsius partes, nam si esset huiusmodi concretum, profecto deberet esse subiectum inhaesionis ipsius vnionis, & deberet consequenter alicui per vnionem vniri, quod patet esse falsum, ut bene aduertendum est.

Obiicies secundo: non potest esse, nec concipi compositum absque vnione magis quam album sine albedine: ergo vnio est de essentia eius, sicut albedo est de essentia albi.

Confirmatur, quia materia, & forma non constituunt compositum, nisi ut vnita: ergo vnio est de essentia compositi, non minus quam materia & forma.

Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia etiam relatio nequit intelligi, aut esse sine termino magis, quam album sine albedine, & tamen non propterea terminus est de essentia eius, sicut albedo est de essentia albi. Itaque licet compositum nequeat intelligi absque vnione, hoc tamen non oritur ex eo, quod constituitur

constituatur formaliter ac essentialiter in esse compositi per unionem propter rationes supradictas, sed ex eo, quod unio est conditio essentialiter prærequisita, ut constituatur per partes: & quemadmodum non potest intelligi, nec esse, quod ignis causet alium ignem, nisi applicetur alicui parti, & tamen ipsa applicatio non est de essentia causationis; ita licet nequeat esse aut intelligi, quod detur compositum absque unione, tamen non propterea unio debet esse de ratione eius; sed potest esse, & est conditio necessaria prærequisita, ut constituatur per partes, imo fortassis est ipsamet causatio partium, de quo postea lib. 2.

Ad confirmationem respondeo distinguendo antecedens: ita ut unio concurret cum ipsis essentialiter, ac intrinsece ad constitutionem totius, nego antecedens, ita ut sit conditio necessaria prærequisita, concedo antecedens, & nego consequentiam: & instari potest ad confirmationem huius in exemplo de applicatione ignis.

47. Obiicies ultimo: per unionem præcise distinguitur compositum per se ex materia & forma unitis à composito per accidens resultantem, seu conflato ex eadem materia & forma intime applicatis, seu non unitis: ergo unio est de essentia compositi per se ex materia & forma resultantis. Probatur antecedens; quia non distinguitur per partes, cum utrumque habeat easdem partes, nec aliquid aliud potest assignari, per quod distinguantur; ergo distinguuntur præcise per unionem.

Respondeo distinguendo antecedens: per unionem distinguitur, tanquam à posteriori & arguitur, ita scilicet ut possit quis colligere, quod unum compositum distinguatur ab alio per hoc, quod partes eius uniantur, non vero uniantur partes alterius, concedo antecedens: per unionem per se primo & formaliter distinguitur, nego antecedens: nam compositum ex se & sua natura formaliter distinguitur ab altero composito, quandoquidem sit unum per se, & quid realiter distinctum à suis partibus simul sumptis & unitis, quod non est verum de altero composito; unde nego consequentiam, & distingo probationem antecedentis: nihil aliud præter unionem potest assignari, per quod arguitur colligatur, quod distinguantur, transeat antecedens, & transeat etiam consequentia in eodem sensu, nempe quod per unionem sic arguitur distinguantur: nihil aliud potest assignari, per quod distinguantur per se primo, nego antecedens: potest enim assignari ipsamet entitas compositi per se, quæ seipsa est diversissima rationis ab entitate compositi per accidens: quod si non velit quis dare totam entitatem pro principio distinctionis totius per se, sed aliquam formalitatem ex multis, quæ in illa includuntur dicat formalitatem distinctivam esse illam, ratione cuius petit constitui ex partibus unitis, talem enim formalitatem non includit totum per accidens conflatum ex iisdem partibus.

Q V Æ S T I O I V.

Utrum Quantitas subiectetur in toto immediate.

48. **A** Verroes 1. *Physicor. comm. 6. 3.* Quantitatem ait esse materiam coarctam, eam tamen antecedenter ad formam aduentum esse interminatam, hoc est forte, nullius determinatæ figuræ, aut densitatis aut raritatis: quam sententiam quantum ad subiectionem quantitatis in materia & quantum ad præcessionem eius ad formam substantialem, sequuntur recentiores plurimi, & præsertim Suarez disp. 14. *Metaphys. sect. 3.* Hurtadus disput. 3. *Physica, sect. 6.* Aversa quest. 21. *sect. 7.* Arriaga disp. 5. *sect. 2.* quem tamen minor suam sententiam vocare communem, cum sit contra Thomistas puros, & Scotistas, quorum sine dubio maior est numerus, nec inferior qualitas, ne quid amplius dicam, quam recentiorum, ac Iesuitarum, & quorumcumque aliorum tenentium ipsius sententiam, imo sololorum Scotistarum numerus excedit.

Secunda sententia communissima Scotistarum & Thomistarum cum Scoto in 2. d. 3. q. 4. num. 5. & 17. ac 4. d. 11. q. 2. & aliis pluribus locis, ac D. Thom. q. 56. & alibi, tenet quantitatem nullo modo præcedere formam in materia, nec in ipsa subiectari immediate, sed in toto composito

substantiali conflato ex materia & forma. Verum cum duplex sit totum compositum, unum, quod sit compositum ex corpore & anima; & alterum, quod sit compositum ex materia & forma substantiali immediate in materia recepta, siue sit forma completa, qualis est forma ignis, aquæ, terræ, lapidis; siue subordinata & incompleta, qualis est forma corporeitatis; quæ cum materia facit corpus, quod est altera pars viventis, dubitari potest adhuc, an in omni composito ex his subiectetur immediate quantitas; & si non, in quonam subiectari debet.

49. Pro maiori autem claritate advertendum est duplex posse considerari subiectum quantitatis, unum denominationis: alterum inhesionis: subiectum denominationis est omne illud, quod potest denominari, seu dici quantum, siue quantitas immediate ipsi inhaereat, siue non: subiectum inhesionis est illud, cui immediate inhaeret quantitas. Quod autem non sit idem subiectum denominationis, & inhesionis quantitatis necessario, hinc patet, quod tam forma, quam materia, ac totum etiam compositum, imo & ipsa accidentia absoluta, quæ dicuntur communiter subiectari in quantitate, denominentur quanta, atque adeo sint subiectum denominationis quantitatis, cum tamen certum sit omnia illa non posse esse subiectum inhesionis eius: neque enim secundum Averroistas inhaerere potest forma aut composito; nec secundum Scotistas materia, & forma, nec secundum Thomistas aut viros accidentibus subsequenter: ergo non coincidit subiectum inhesionis semper cum subiecto denominationis.

CONCLUSIO I.

50. *Quantitas rerum animatarum non subiectatur aut inhaeret immediate in toto composito ex corpore, & anima siue spirituali siue corporali.* Hæc est eorum, qui tenent quantitatem subiectari in materia prima contra Thomistas communiter, & quosdam etiam Scotistas, qui existimant eam subiectari immediate in composito ex corpore, & anima materiali, non vero spirituali, non tamen contra ipsum Scotum, qui licet asserat quantitatem subiectari in composito, nunquam tamen id dixit de toto composito ex corpore, & anima.

Probatur primo, contra Thomistas, quia secundum ipsos totum non distinguitur realiter à partibus: ergo quantitas non potest immediate subiectari in toto. Probatur consequentia, quia unum accidens absolutum non potest naturaliter subiectari in rebus realiter distinctis immediate: ergo.

Confirmatur contra ipsos: quod subiectatur in toto composito immediate, debet necessario subiectari in partibus eius immediate, quandoquidem non distinguatur totum à suis partibus: sed quantitas, cum sit res materialis & corporea, non potest subiectari in anima rationali spirituali, ergo saltem quantitas non subiectatur in toto homine, sed in materia hominis siue prima, siue secunda.

Probatur secundo univ ersaliter contra omnes, quia non potest naturaliter manere accidens sine suo subiecto inhesionis immediato: sed eadem numero quantitas rei viventis manet, destructo toto composito ex anima, & corpore, & hoc, siue anima sit rationalis, siue sensitiva, aut vegetativa, ut patet experientia, mortuo enim homine, & equo, & arbore, corpus ipsorum habet eandem extensionem numero, & plures alias qualitates eadem numero, quas habuerunt ante mortem.

51. Respondet quidam Scotista quantitatem subiectari in toto ex corpore, & anima materiali resultantem, secundum se totum, & secundum omnes suas partes, & consequenter non esse mirum, quod destructa una parte, & etiam toto, maneat adhuc quantitas in altera parte superstitere.

Sed contra quia secundum Scotum, & hunc Scotistam quantitas debet necessario immediate subiectari in toto, & mediante toto in partibus totius, in quibus secundum ipsos non potest naturaliter subiectari immediate, propter primam probationem contra Thomistas: ergo destructo toto non potest manere quantitas eadem numero, nequit

nequit enim vllum accidens manere sine suo subiecto immediato.

Confirmatur, quia accidentia materialia educuntur à potentia sui subiecti immediati, ergo naturaliter dependent ab ipso in esse & conseruari, & consequenter nequeunt naturaliter conseruari sine ipso. Probatur prima consequentia, quia nihil est aliud educi de potentia subiecti, quam in esse & conseruari dependere ab ipso.

Confirmatur secundo, quia quod non inest alicui, nisi mediante alio, destructo alio non inest ipsi: ergo cum quantitas non inest partibus, nisi mediante toto, non potest manere in ipsis destructo toto, nisi migrando de subiecto in subiectum, quod naturaliter implicat secundum omnes.

Confirmatur tertio, efficaciter, quia quantitas ligni, quæ secundum ipsum & veritatem subiectatur in toto composito ex materia prima & forma ligni, non potest naturaliter manere in materia prima destructo ligno: ergo similiter nec quantitas rei animata potest manere in parte ipsius destructo toto, probatur consequentia, quia tam immediate subiectatur quantitas ligni in partibus ligni, quam quantitas rei viuientis in partibus eius.

§ 2. *Respondent Thomista* ad hanc probationem non manere eandem quantitatem numero, nec eandem numero qualitates destructo viuente.

Sed hæc responsio falsè innititur doctrinæ, scilicet non dari in viuentibus, nisi vnam formam substantialem de quo alias modo sufficit aduertere nihil magis mirum posse excogitari, quam non remanere post mortem animalium in suis cadaueribus vlla ex præcedentibus accidentibus ipsorum animalium, sed similia produci de nouo à causis, quas quia non sunt, non possunt vnquam assignare aduersarij.

§ 3. *Obiiciunt* anima corporea est extensa: ergo vel recipitur in quantitate, vel recipit quantitatem, neque enim apparet quomodo quantitas possit communicare effectum suum vlli, nisi in quo recipitur, vel quod ipsam recipit: sed certum est, quod non recipitur in quantitate: ergo recipit in se quantitatem, & consequenter quantitas recipitur in toto composito ex corpore & anima corporea, seu materiali.

Respondet negando consequentiam cum sua probatione, nam sufficit, vt habeat extensionem quantitativam, quod recipiatur in re habente quantitatem: nam eo ipso quo vna pars istius animæ subiectatur in vna parte corporis habentis quantitatem, & altera in altera, repugnat naturaliter illas partes animæ esse in eodem loco, quia non potest pars animæ informantis subiectum esse in aliquo loco, in quo non sit ipsum subiectum: ergo cum duæ partes corporis habentis quantitatem non possint esse simul in eodem loco, nec etiam duæ partes animæ informantis tale corpus.

Dices, animam rationalem recipi in corpore quanto, & tamen non esse extensam quantitativam: ergo, vt forma sit extensa, non sufficit vt recipiatur in corpore quanto.

Respondet distinguendo consequens: hoc solum non sufficit, concedo; hoc non sufficit, si ceteræ conditiones requisitæ adlint, quarum præcipua est, quod forma habeat partes entitativas, nego consequentiam. Itaque ratio, quare anima rationalis non sit extensa, etiam si recipiatur in corpore quanto, est quia non habet huiusmodi partes.

§ 4. *Dices secundo*, non aliunde colligi, quod qualitates recipiantur in quantitate, tanquam in subiecto proximo, nisi quia recipiuntur in corpore quanto: ergo si anima recipiatur in corpore quanto, debet dici quod recipiatur in quantitate tanquam in subiecto proximo: sed hoc est absurdum, ergo dicendum quod anima corporea non recipiatur in corpore quanto, & consequenter quod recipiat in se quantitatem.

Respondet primo, negando antecedens, sed id potius colligitur ex mysterio Eucharistiæ.

Respondet secundo negando consequentiam, quia sequitur inconueniens ex eo, quod anima recipitur proxime in quantitate, quale non sequeretur ex eo quod qualita-

tes in ea proxime reciperentur: inconueniens autem illud est, quod non reciperetur immediate in suo subiecto per se, cum quo facit vnum per se, cum tamen posset in illo recipi absque inconuenienti.

Dices tertio: Si quantitas subiectaretur in corpore priusquam informaretur ab anima, sequeretur quod anima non esset actus per se ipsius: sed hoc est absurdum. Probatur sequela, quia actus qui non perficit subiectum nisi mediante accidente, non est actus per se ipsius.

Respondet negando sequelam, & distinguendo eius probationem: nisi mediante accidente tanquam subiecto magis immediato ipsius, transeat; nisi mediante accidente non tamen vt subiecto immediatiore, nego. Et hoc vel simili modo deberet aduersarius Scotista saltem respondere, si simile argumentum vrgeretur contra ipsū de anima rationali, quæ recipitur in corpore prius affecto quantitate.

CONCLUSIO II.

§ 5. Totum compositum ex materia, & quacunque forma, & etiam ipsa materia, & forma quacunque corporea, siue sit anima, siue sit forma substantialis, quæ non sit anima, siue forma accidentalis absoluta, est subiectum denominationis quantitatis. Hæc est communis, & probatur quia nihil ex his est, quod non denominetur magnum aut paruum magnitudine molis, & quod non habeat partes extensas impenetrabiliter: ergo nihil ex his est, quod non denominetur quantum, & consequenter quod non sit subiectum denominationis quantitatis.

Dices: hinc sequeretur quod nihil ex his esset, quod non sit subiectum immediatum inhesionis eius contra sequentem conclusionem.

Respondet negando sequelam, quia bene potest esse aliquid subiectum denominationis, quod non sit subiectum inhesionis immediatum, vt patet ex eo quod totus homo dicatur intelligere, & videre, & esse corpus, cum tamen intellectio inhaereat immediate soli intellectui ac animæ, visio soli oculo, crispitudo soli capiti.

CONCLUSIO III.

§ 6. Subiectum immediatum inhesionis quantitatis est totum compositum ex materia, & quacunque forma substantiali, quæ non sit anima. Hæc est Scotistarum communiter cum Scoto supra, ac etiam Thomistarum; quantum ad omnia præter exclusionem totius compositi ex anima & esset etiam ipsorum quantum ad hoc quoque, si putarent cum anima aliam formam substantialem reperiri in viuentibus: est autem contra tenentes quantitatem subiectari immediate in materia prima.

Probatur conclusio primo, quia huiusmodi compositum est capax quantitatis, & denominatur quantum, nec vllam inconueniens sequitur ex eo quod recipiat proxime in se quantitatem: ergo dicendum est, quod id faciat. Probatur consequentia, quia quod recipit denominationem à forma accidentali, debet dici recipere illam formam immediate, si sine inconuenienti id concedi possit. Probatur antecedens, quia est diuisibile in partes entitativas, quarum vna potest correspondere, tanquam subiectum vni parti quantitatis, & altera alteri: ergo est capax quantitatis. Deinde certum est, quod denominetur quantum, & non potest assignari inconuenientia vlla ex eo, quod dicatur immediate subiectare quantitatem: ergo antecedens quoad omnem partem est verum.

§ 7. *Confirmant aliqui*, quia quidquid est diuisibile in partes entitativas, aut recipitur in quantitate, vel in re quantâ, aut recipit quantitatem, aut rem quantam: sed huiusmodi compositum habet huiusmodi partes, & non recipitur in re quantâ, nec recipit rem quantam: ergo recipit quantitatem.

Confirmant secundo, quia quidquid est quantum, debet vel recipi in quantitate, aut re quantâ, vel recipere quantitatem, aut rem quantam: ergo cum huiusmodi compositum sit quantum, & non recipiatur in re quantâ, aut quantitate, nec recipiat rem quantam, debet recipere immediate quantitatem.

Sed contra has duas confirmationes currit instantia de toto composito ex corpore & anima materiali; nam huiusmo-

Quoddam
subiectum
denominati-
onis quæ-
ritur.

Subiectum
inhesionis
quantitatis
est totum
compositum
ex materia
& forma
quæ non
est anima.

huiusmodi totum est diuisibile in partes entitatuas, & est quantum, nec tamen recipit in se quantitatem, aut rem quantam, nec recipitur in quantitate, aut re quanta, sed sufficit ad illam denominationem, quod pars intrinseca ipsius sit res quanta, nimirum corpus.

58. *Probatur secundo*, quia generationis subiectum est materia prima, augmentationis vero & alterationis corpus substantiale, & in hoc distinguitur generatio ab augmentatione & alteratione secundum Philosophum, 5. *Physic. tex. 8. & 1. de Generat. tex. 24.* ergo illud, quod mutatur per generationem ex materia prima, & illud, quod mutatur per augmentationem & alterationem non est materia prima, sed corpus substantiale; ergo sicut materia prima immediate recipit formam substantialem, quæ est terminus generationis; ita corpus substantiale immediate recipit quantitatem, quæ est terminus augmentationis.

Confirmatur, quia secundum ipsum nullum sensibile manet in genito ex iis, quæ fuerunt in corrupto, ut patet ex definitione corruptionis: ergo accidentia sensibilia omnia subiectantur in toto, quia alias ad destructionem ipsius non deberent omnia destrui; & quia ideo colligunt aduersarij accidentia non subiectari in toto, quia putant eadem accidentia manere in genito, quæ fuerunt in corrupto.

59. *Respondet Suarez*, subiectum generationis, augmentationis, & alterationis esse materiam primam; cum hac tamen differentia, quod ad generationem non supponatur eam informatam forma substantiali, ad augmentationem vero & alterationem sic.

Sed præterquam quod hæc responsio non sit conformis Philosopho, sed omnino violenta, ulterius contra eam est quod si materia prima esset subiectum augmentationis, & alterationis, nulla daretur alteratio violenta, quod est contra omnes: Probatur sequela, quia alteratio non potest esse violenta, quoties subiectum eius non auertitur & abhorret à qualitate per eam acquisita: sed à nulla prorsus qualitate materia prima abhorret, imo potius omnes æque appetit: ergo nulla daretur alteratio violenta.

Ad confirmationem Arriaga, reiecta aliorum solutione, negat consequentiam, tum quia quantitas non est accidens sensibile, tum quia possent accidentia compositi destructi definire eo definente, quamuis non subiectarentur in ipso, nimirum quia dependerent à forma ipsius in alio genere, quam in ratione subiecti, v.g. in genere causæ efficientis, aut finalis, aut conditionis sine qua non.

Sed contra, quia ut dixi in secunda probatione consequentiæ confirmationis, ideo aduersarij potissimum, & præsertim Arriaga colligit quantitatem & qualitates non subiectari in toto, sed in materia prima, quia remanent eadem qualitates ac quantitas in genito & corrupto: ergo si hoc sit falsum secundum Philosophum, prout esse fatetur hic auctor, falsa erit eorum sententia secundum Philosophum. Nec refert quod quantitas non sit sensibile, quia eadem est ratio de ipsa, ac qualitatibus sensibilibus, quantum ad subiectionem in composito, ut aduersarij fatentur: unde si secundum Philosophum qualitates subiectentur in composito, sequitur quod secundum eundem quantitas in eo subiectatur: & per hoc patet non valere responsionem eiusdem auctoris ad secundam probationem ab ipso met pro nostra sententia adductam.

60. *Probatur tertio*: prius materia recipit formam substantialem, quam quantitatem: ergo dicendum est, quod quantitas recipiatur in composito. Consequentiam non negabunt aduersarij, quia propterea existimant quantitatem non recipi immediate in composito ex eo, quod recipiatur prius in materia, quam recipiatur forma substantialis in ipsa, & consequenter priusquam sit compositum. Probatur ergo antecedens, quia actus per se materiæ qualis est forma substantialis, debet prius coniungi cum illa, quam actus per accidens eius, qualis est quodcunque accidens, nisi actus per accidens requiratur, ut ratio recipiendi formam, aut aliquid præuius requisitum ad eam recipiendam: sed quantitas est accidens, & non requiritur, ut aliquid necessarium præuius ad recipiendam formam substantialem, ut patet ex solutione obiectionum: ergo

prius materia debet recipere formam substantialem, quam quantitatem.

Dices: corpus, quod est altera pars hominis per se ordinatur ad animam rationalem (& idem est de corporibus aliorum animalium respectu suarum animarum) & tamen prius recipit quantitatem, quam animam, ergo posset materia conuenienter recipere quantitatem priusquam formam substantialem, quamuis esset per se ordinata ad illam formam.

Respondeo negando consequentiam, & assignando disparitatem maximam, quia corpus illud, cum constet materia prima, & forma substantiali, debet habere qualitates sibi proprias, & consequenter quantitatem, quæ est subiectum immediatum talium qualitatum, secus est de materia prima.

Confirmatur, quia eo ipso, quo prærequiritur forma substantialis corporeitatis ante animam, etiam prærequiruntur qualitates conseruativæ eius ante animam, & consequenter non est eadem ratio de corpore illo, respectu animæ, ac de materia prima respectu formæ substantialis immediate recipiendæ in illa.

61. *Obiicies primo ex Suarez*, quantitas potest subiectari in materia prima, & de facto ita aliquando fit, ergo dicendum est, quod semper ita fiat. Consequentia patet, quia melius est vniforme aliquod subiectum tribuere quantitati, quam difforme, si potest ipsi tribui. Probatur antecedens quoad secundam partem, in qua videtur tantum esse difficultas, quia quantitas hominis non potest habere aliud subiectum quam materiam primam, quandoquidem non sit aliquod subiectum assignabile, in quo sit præter totum hominem, aut materiam primam; in toto autem homine non potest existere immediate propter rationes secundæ conclusionis.

Respondeo hanc obiectionem contra Thomistas esse validam & propterea facile erat *Suario* eorum responsiones confutare, quod & bene facit contra nos autem nihil valet: negamus enim antecedens quoad secundam partem (quidquid sit de prima) cum sua probatione; est enim assignabile totum compositum ex materia prima & forma corporeitatis, quam licet *Suario* neget, nos tamen alias sufficienter probabimus in libris de Anima.

62. *Obiicies secundo*: non potest agens naturale agere in materiam, nisi dispositam per certas qualitates determinantes ipsam ad formam introducendam: sed sic disponi nequit sine quantitate: ergo prius habet quantitatem quam formam substantialem.

Confirmatur, quia non potest esse subiectum proportionatum agentis corporei, nisi sit extensa per quantitatem, ergo prius debet habere quantitatem, quam agens corporeum agat in ipsam. Probatur antecedens primo, quia actio naturalis fit per contactum: sed contactus fieri nequit, nisi inter ea, quorum extrema sunt simul, quæ autem habent extrema simul, debent esse quanta.

Probatur idem antecedens secundo, quia non est vlla ratio cur corpus Christi Domini non possit calefieri sub speciebus Eucharisticis à corporibus calidis, aut calefacere corpora frigida, nisi quia non est sub illis modo quantitatiuo: ergo quantitas prærequiritur ad actionem naturalem.

63. *Respondetur* distinguendo maiorem, nisi dispositam per qualitates, quæ insunt materiæ primæ secundum se, nego maiorem, quæ insunt composito destruendo, concedo maiorem, & concessa minori distinguo consequens: debet secundum se immediate prius habere quantitatem, nego; mediare, hoc est mediante composito destruendo, concedo consequentiam.

Ad confirmationem respondeo distinguendo antecedens: pro illo instanti, quo introducit formam, nego; pro tempore præcedenti, transeat.

Ad probationem antecedentis dico primo in principiis Doctoris actionem naturalem non necessario esse per contactum physicum sic, ut agens & passum debeant esse indistantia localiter, quia alias non posset dari actio in distans contra omnia principia *Scoti*, ut mirum sit hanc probationem videri à *Scotista*: sed sufficit, quod sit per contactum virtutis, qui contactus non est ad propositum, ut patet. Deinde, quamuis deberet esse per contactum physicum sic, ut agens & passum deberent esse indistantia, falsum

falsum est, quod non possint aliqua se habere simul tali similitudine; quamvis vnum ex illis non esset quantum: nam certum est, quod materia denudata ab omni quantitate posset esse localiter indistans ab igne, ac quocumque alio agente corporeo, neque enim quantitas aliquid facit ad illam indistantiam. Denique quamvis extrema, inter quæ intercedit actio, deberent esse quanta pro quocumque instanti temporis, pro quo esset actio, non deberent esse quanta pro quocumque instanti naturæ considerabili in illo instanti temporis; sic autem essent simul materia & agens, quamvis non esset eadem quantitas in genito & corrupto, quia materia in eodem instanti esset quanta alia quantitate.

64. *Ad secundam probationem respondeo primo* concedendo antecedens, & distinguendo consequens: actio per quam producit calor, aut frigus, aut similia accidentia, quæ subiectantur in quantitate, transcat; actiones substantiales, quæ non principiantur à qualitatibus, aut quantitate, nego consequentiam.

Respondeo secundo negando antecedens, sed potius ratio est, quia corpus Christi est ibi modo indivisibili; & fortassis agens corporeum non potest producere aliquam formam divisibilem, nisi subiectum esset actu extensum; materia autem in nostro casu, licet non haberet quantitatem in instanti generationis antecederet ad inductionem formæ substantialis; tamen haberet suas partes entitativas extensas.

Ut autem melius intelligatur obiectio solutio, advertendum est agens naturale de facto, antequam producat formam substantialem, producere aliquas qualitates in corpore destruendo, quia cum non possit formam substantialem producere in materia istius compositi, nisi ab ea expellat alteram formam, & hoc non possit facere, nisi expellendo qualitates conservativas eius, debet necessario producere qualitates contrarias illis qualitatibus in composito destruendo, nõ quod istæ dispositiones sint per se requisitæ ad formam introducendam, sed per accidens tantum ratione scilicet alterius formæ. Quod si inveniret materiam nudam absque ulla dispositione, immediate sine ulla dispositione produceret suam formam in illa; & hinc patet in instanti generationis, quo producit formam introducendam, & quo verum est dicere non esse formam præcedentem, non requiri quod illæ qualitates antecederent ad formam substantialem insint materiæ.

65. *Dices* in solo instanti, si esset nuda, non esset magis determinata ad vnam formam, quam ad alteram, & consequenter non potius deberet produci vna forma, quam altera: ergo ut determinetur ad vnam præ altera etiam in illo instanti, debet habere aliquas qualitates dispositivas.

Respondeo negando sequelam antecedentis pro secunda parte, quia ut producat vna forma præ alia, sufficit quod agens, quod denudavit illam à forma præcedenti, sit ex se determinatum ad producendam vnam formam præ alia, sicut ignis est determinatus ad producendum formam ignis, & non formam aquæ.

Instabis: licet hoc curreret, quando causa esset determinata ad certam formam; tamen quando causa applicata esset potens producere diversas formas, sicut sol. v.g. nullo modo curreret.

Respondeo talem causam determinandam ad vnam formam præ alia per alias causas circumstantes, vel per Deum ut causam universalem, ad quæ pertinet determinare causas efficientes, quoribus ex se sunt indeterminate. Et sane hoc ipso modo respondere debent aduersarij, si peratur ab ipsis, unde habet talis causa producere in tali composito destruendo dispositiones ad vnam formam potius quam ad alteram. Itaque, quod est valde hic advertendum, quænammodum quæcumque causa productiva formæ substantialis determinatur ad producendas tales dispositiones potius quam alias, cum tamen subiectum, in quo illas producit, sit ex se ad illas indeterminatum: ita potest determinari ad producendam vnam formam substantialem præ altera quamvis materia sit indeterminata.

66. *Obiicies tertio*: experientia constat aliquas qualitates, quæ erant in corrupto, reperi in genito; quando enim

generatur aqua ex corpore humido calido, ipsa aqua genita est calida; sed hoc non posset fieri, si qualitates, & quantitas subiectarentur in toto composito destructo.

Confirmatur, quia secundum Philosophum eadem perspicuitas est in aqua genita & corrupta.

Confirmatur secundo, quia secundum eundem facilius generatur vnum elementum symtolum, i. simile ex alio elemento simbolo, id est simili, quam ex dissymbolo. i. dissimili, v.g. facilius generatur aer ex aqua, cui similis est, seu cum qua cõuenit in humiditate, aut ex igne, quo cum convenit in calore, ut supponitur communius, quam ex igne aqua, aut è contra, quia hæc in nullis qualitatibus conveniunt: cuius rationem assignat Philosophus, quia ut generaretur aer ex igne aut aqua, non esset necessaria omnes qualitates aquæ aut ignis destruere, sed solum illas, in quibus sunt dissymbola aeri; ut vero generaretur aqua ex igne, necesse esset omnes eius qualitates destruere cum in nullis conveniant: ergo sentit Philosophus eadem qualitates in genito, & corrupto manere.

Confirmatur tertio, quia secundum Philosophum quantitas est proprietas materiæ, ergo debet et subiectari in illa.

Respondeo negando maiorem, ad cuius probationem dico, quod aqua genita non habeat illum calorem in numero, quem habuit corpus istud humidum corruptum, sed alium productum ab aliqua causa circumstanti; cuius indicium est, quod non semper habeat eundem calorem, dum producit, sed aliquando maiorem, aliquando minorem, aliquando nullum, prout scilicet causæ circumstantes natae sunt producere calorem in ipso.

Ad primam confirmationem respondeo, Philosophum loqui de eadem perspicuitate in specie.

Ad secundam confirmationem respondeo, negando consequentiam: solum enim Philosophus vult quod non est necesse, ut per se destruantur qualitates, in quibus corruptum est symbolum cum generando; non vero quod per accidens non debeant corrumpi.

Ad tertiam confirmationem respondeo: quantitatem dici proprietatem materiæ, non quod in ipsamet inhaereat aut subiectetur immediate, sed quod nulli subiecto conveniat, nisi subiecto constanti materiæ.

Confirmatur, quia qualitates sunt proprietates formæ secundum Philosophum, sicut quantitas materiæ; sed non sunt ita proprietates formæ, ut in ipsa forma subiectentur immediate secundum aduersarios; sed eatenus tantum sic dicuntur, quatenus conveniunt composito ratione formæ: ergo non est necesse ut quantitas secundum Philosophum sit alio modo proprietas materiæ.

68. *Obiicies quarto Scotum* in 2. d. 3. q. 4. n. 10. ubi dicit, quod quantitas non interminata, sed terminata sit eadem in generato, & corrupto: sed hoc esset falsum, nisi subiectaretur in materia, si enim subiectaretur in composito, destructo composito destrueretur & consequenter non maneret eadem numero in genito & corrupto. Hic locus est fundamentum quibuldam *Scotistis* tenendi oppositum conclusionis ex mente *Scoti*: sed falluntur, ut patebit ex solutione iam danda.

Respondeo ergo Scotum eo loco impugnare sententiam aliquorum dicentium, quod substantia individuetur per quantitatem aliquam, aut terminatam, aut interminatam: & optime arguit contra ipsos, non ex propria sententia, sed ad hominem, quod inde sequeretur, quod genitum & corruptum essent idem numero, quia in genito & corrupto est idem principium individuandi, nempe eadem quantitas in eorum sententia, imo & in sua etiam propria sententia posset esse de potentia absoluta eadem numero quantitas in ipsis, & consequenter si quantitas esset principium formale individuationis, essent idem numero, quod implicat.

Quod autem propria sententia *Scoti* non fuerit, eandem numero quantitatem manere in genito & corrupto, patet evidenter ex toto decursu istius quæstionis; nam in primis n. 5. expresse asserit substantiam singularem completam esse priorem quantitate, & consequenter inferri non posse illam individuari per quantitatem, & num. 16. respondendo ad vnum ex fundamentis aduersariorum, nihilum

nimirum quod agens naturale non possit agere, nisi in materiam quantam, & consequenter quod materia debeat præsupponi quantam, antequam agens naturale possit inducere formam substantialem in illa, ac generare substantiam: respondendo, inquam, ad hanc difficultatem ait, quod debeat quidem quantitas præsupponi formæ generandæ; sed non tamen quantitas substantiæ generandæ sed quantitas substantiæ corruptæ; quod esset falsum, si esset eadem quantitas utriusque, aut si quantitas esset eorundem materia, ac in ipsa subiectata.

Deinde paulo inferius cum instaret adhuc, quod quantitas deberet præcedere in genito formam geniti, quia alias in instanti, in quo generans inducit formam & generat, induceret formam in materiam non quantam; quod videtur inquit, esse contra illam propositionem, quod agens particulare non attingat ipsam substantiam materiæ, sed præcise attingit eam, in quantum quantam: & contra *Auerroem de substantia orbis* c. 1. dicentem, quod eadem quantitas maneat in genito & corrupto, alioquin generas generaret de non corpore corpus. Cum, inquam, *Scotus*, sibi proponeret hanc replicam, & §. contra illud primò responderet ad hominem, postea n. 17. respondet directe, & ex mente propria independentem à sententia aduersariorum (ut euidenter colligitur ex verbis vltimis paragraphi prioris: hoc quoad hominem: & ex verbis primis istius n. 17. sed ad conclusionem in se dico, id est independentem à particulari aduersariorum opinione) Respondet, inquam, directe quod nullum omnino accidens, quod requirit substantiam compositam, potest manere idem in genito, & corrupto, & ibidem expresse supponit quantitatem esse tale accidens, & consequenter ipsam esse posterius substantiam, & corrupti, & generati.

70. Postea ad propositionem prædictam, nempe quod agens nequeat attingere substantiam materiæ nisi ut quantam, respondet dicens: De illa propositione non multum curo, quia videtur impossibilis; nihil enim aliud videtur esse agens attingere passum in ratione passu, quam inducere in ipsum, actum, quo perficiatur: agens autem particulare inducit formam substantialem, qua materia perficitur; in quantum materia, & non in quantum quantam, &c. deinde addit: Ad Auerroem dico, quod de eo, quod aliquando non esset corpus, posset generari corpus, sed forte non posset agens naturale generare de non corpore corpus, sicut de corrupto, quia materia non corrumpitur: sed totum, sed de eo quod fuit corpus usque ad instantem generationis, & hoc quantitate sibi inhærente, potest agens naturale aliud quantum alia quantitate generare in illo instanti, quia sicut potest generare substantiam, qua non præfuit, ita potest producere alia accidentia consequentia eam.

Denique ut tollatur omnis porus difficultas subiungit: Ista responsio negat dimensionem interminatam manere eandem numero in genito, & corrupto. Et addit: quod de hoc alias. Cui promissioni satisfacit in 4. d. 12. q. 2. & dist. 13. q. 3. in quibus locis tenet etiam nostram conclusionem, ut prorsus mirum sit, quod ab vltio Scotista controuerti possit de eius mente quantum ad hoc. Quæ omnia fufius quam mea fert consuetudo in respondendo ad auctoritates dicta sunt, tum ut innotescat germana Scoti sententia, tum ut confirmetur, quæ supra dicta sunt ad obiectionem secundam.

QVÆSTIO V.

Virum alia accidentia absoluta subiectentur immediate in composito substantiali.

71. **S**uppono qualitates spirituales absolutas, quales sunt intellectiones, volitiones, species intelligibiles, & habitus tam intellectus quam voluntatis subiectari immediate in ipsismet intellectu, & voluntate, & non in toto homine, licet totus homo sit subiectum denominationis earum; homo enim dicitur intelligere, velle, esse inclinatus habitualiter ad bonum, ad malum, &c. Ratio autem cur non subiectentur in homine, est quia ipsa anima cum illis potentiis est sufficiens subiectum earum, & in ea remanent multa ex illis, quando separatur, ut docetur communiter in libris de anima.

Vnde difficultas præfens est de accidentibus absolutis corporeis, qualia sunt albedo, frigus, & similia; de quibus etiam non potest esse dubium, quin habeant totum pro subiecto denominationis; denominatur enim homo albus, calidus, & idem est de aqua & cæteris compositis, quare controuersia debet esse de subiecto inhærentis, an scilicet inhæreant immediate totis. Et quidem si subiectentur immediate in quantitate, quandoquidem hæc ex dictis subiectetur in toto, accidentia illa subiectabuntur in toto, sed non nisi mediate, quia non nisi mediantem quantitate. Vnde hic examinandum est num subiectentur cætera accidentia corporea in quantitate, an vero immediate subiectentur in ipso composito eo modo, quo ipsa quantitas; vel in aliquo alio subiecto distincto à substantia compositi & à quantitate, nempe in materia prima, aut aliquo accidente.

72. *Prima sententia* tenet albedinem, nigredinem, calorem, frigus, & similia accidentia absoluta corporea subiectari immediate in substantia illa, in qua subiectatur quantitas, siue illa sit substantia composita, siue materia prima. Ita *Nominales* omnes cum *Occano* in 4. q. 7. & satis sane consequenter ex suppositione alterius sententiæ quam tenent, nempe quod non detur quantitas realiter distincta à substantia; quia reuera aliud subiectum assignari non poterit; hoc supposito, in quo conuenientius subiectentur immediate quam in substantia, ut postea dicemus: Hanc sententiam etiam tenet *Hurtadus* disp. 6. §. 55. & *Arriaga* disp. 5. n. 37. quamvis quantitas distinguatur realiter.

Secunda sententia est cætera illa accidentia non subiectari in quantitate immediate, neque etiam in substantia, sed in quodam alio accidente de prædicamento qualitatibus quæ est potentia naturalis susceptiva accidentium; & iuxta hanc sententiam ipsa quantitas non subiectaretur immediate in toto composito, sed mediante huiusmodi potentia. Hæc videtur *Caietani* 1. par. q. 54. art. 3. *Massi* 1. *Physic.* cap. 9. q. 7. *Soncina* 12. *Met.* q. 26. quos sequitur *Auerfa* 21. sect. 6.

Tertia sententia est prædicta accidentia subiectari immediate in quantitate. Hæc est communissima cum *Scoto* in 4. d. 4. dist. 12. & *D. Thoma* 3. p. q. 77. quos sequuntur præter suos omnes *Suar.* disp. 14. *Met.* sect. 4. & recentiores communiter.

CONCLUSIO I.

73. *Nec quantitas subiectatur immediate in aliqua qualitate de prædicamento qualitatis, nec etiam vllum aliud accidens absolutum subiectatur in alio accidente distincto à quantitate.* Hæc est contra secundam sententiam cum auctoribus tertiæ sententiæ, & præsertim *Scotistis* quoad omnem partem, & *Thomistis* quoad secundam partem, si forte nec teneant primam partem de quantitate.

*Probat*ur sufficientissime, quia ipsamet substantia habet sufficientissimam capacitatem ad recipiendam quantitatem in se immediate, & cætera etiam accidentia, si non recipiantur in quantitate immediate, nec est vllum prorsus indicium aut congruitas, cur daretur qualitas aliqua, quæ immediate reciperet quantitatem, aut alias qualitates absolutas, & consequenter frustra poneretur talis qualitas; ergo quantitas immediate subiectatur in substantia, & cætera etiam qualitates, nisi subiectentur in quantitate.

Confirmatur primo, quia quemadmodum substantia potest recipere immediate illam qualitatem, in qua reciperetur quantitas, & alia qualitates, ita posset recipere immediate ipsam quantitatem & cætera qualitates, quæ non subiectantur in quantitate.

Confirmatur secundo, quia ut alias ostendimus, intellectus & voluntas non sunt qualitates distinctæ realiter ab anima; ergo nec potentia immediate receptiva quantitatis, aut aliarum qualitarum non receptorum in quantitate debet esse qualitas distincta realiter à substantia. *Probat*ur consequentia à pari, nec credo ipsos aduersarios negaturos paritatem quantum ad hoc.

74. *Obiicies primo ex Auerfa: aristoteles* 3. *Met.* c. 11. dist. 11.

Quantitas non subiectatur in aliqua qualitate

distinguit potentiam in actiuam & passiuam: sed loquitur de potentia accidentali: ergo dantur tales potentiae, quæ sint accidentia, & consequenter qualitates, quia ad nullum aliud prædicamentum conuenientius reduci possunt quam ad qualitatem.

Respondeo negando minorem, quam non sufficienter probat *Auerse* ex eo, quod potentia actiua dicat ordinem ad subiectum extrinsecum seu passum: passiuæ vero dicat ordinem ad agens extrinsecum; nam potentia actiua & passiuæ realiter identificata substantiis possent dicere tales respectus, & per ordinem ad illa distingui formaliter inter se, ut est clarissimum.

73. *Obiicit secundo* idem ex *Durando*: Accidentia variabilia, & mutabilia debent recipi in substantia mediante aliquo accidente inuariabili ac immutabili, quia accidentia inuariabilia nimis distant à substantia, atque ideo debent inesse ipsi mediante aliquo accidente, quod minus differt ab ipsa: tale autem accidens aliud non est, quam potentia receptiua: ergo, &c.

Respondeo primo negando maiorem, & ad probationem dico, quod non tam distent, quin possint immediate inherere ipsi, casu quo non inhererent quantitati; unde superfluit prorsus accidens distinctum à quantitate, quod minus distaret à substantia, in ordine saltem ad recipiendam illa accidentia variabilia.

Respondeo secundo, permissa maiori negando minorem, quia ipsa quantitas secundum se est tam inuariabilis, quam illa potentia accidentaliter receptiua, & consequenter ipsa secundum se possit subiectari immediate in substantia, & cetera accidentia absoluta possent subiectari in quantitate.

76. *Obiicit tertio*: potentia debet esse eiusdem generis cum actu: ergo potentia receptiua accidentium debet esse accidens.

Respondeo primo negando absolute antecedens, quia alias potentia receptiua quantitatibus deberet esse quantitas, contra omnes; & potentia, qua substantia recipit primum accidens, deberet esse accidens, quod implicat, quia alias illud accidens primum esset primum, & non esset primum; & potentia, qua recipit corpus locale *ubi*, deberet esse de prædicamento *ubi*, quod est absurdum.

Respondeo secundo distinguendo antecedens: potentia actiua, aut receptiua, nego antecedens; potentia obiectiua & actus entitarius, id est, res, quæ est possibilis, & res, quæ est existens, sunt eiusdem rationis, concedo antecedens, & nego consequentiam.

77. *Obiicit quarto*: substantia non ita essentialiter respicit accidentia, sicut materia prima respicit formas substantiales: ergo non debet illa respicere per potentiam sibi identificatam, sicut materia respicit illas formas.

Respondeo distinguendo antecedens; si sensus sit, quod substantia non respiciat accidentia in se subiectata per aliquid sibi identificatum & sequens ad suam essentiam æque bene, ac materia respicit formas substantiales, nego antecedens; si sensus sit, quod non respiciat illa, tanquam complementum substantiale, sicut materia respicit illas formas, concedo antecedens, & nego consequentiam. Et sane si non sit absurdum secundum aduersarios, quod substantia respiciat se ipsa, aut per aliquid sibi identificatum primum accidens, quod ipsi vocant potentiam accidentalem, sicut materia seipsa, aut per aliquid sibi identificatum respicit formas substantiales; non est absurdum, quod eodem modo respiciat cetera accidentia in se recepta.

78. *Obiicit quinto*: in speciebus Eucharisticis debet poni aliquod commune subiectum reliquorum accidentium, quod etiam subiiciatur mutationibus communibus, quæ sunt naturaliter circa illas species, nempe calefactionis, refrigerationis & similibus: sed aliud assignari non potest conuenienter, nisi ponatur illa potentia receptiua, ergo illa debet poni.

Respondeo primo negando minorem, quia quantitas potest assignari pro tali communi subiecto, ut postea dicemus.

Respondeo secundo, ex suppositione, quod quantitas non sit tale commune subiectum, negando maiorem, sed potius

recurrendum in illis nouis mutationibus ad miraculum ac concursum Dei extraordinarium cum causis secundis ad productionem formarum absque subiecto, quam asserenda vlla qualitas occulta & superflua, cuius nullum est indicium, nisi ex suppositione illius mysterij miraculosi: & quemadmodum in mutationibus substantialibus, quæ fieri possunt circa illas species, verbi gratia, in generatione verum recurritur ad miraculum, ut suo loco dicitur: ita non est inconueniens recurrere ad miraculum in mutationibus accidentalibus, si non possit assignari aliquod subiectum sufficiens, quod aliunde constet dari, quam ex hoc mysterio. Videantur, quæ dicta sunt in Logica q. 3. de quantitate, ubi particularius adhuc respondetur ad alia *Auerse* fundamenta.

CONCLUSIO II.

79. *Qualitates illæ absolutæ, quæ subiectantur immediate in substantia, debent dici subiectari immediate in toto substantiali composito, & non in materia prima sola, neque in sola forma.* Hæc probatur iisdem principiis, quibus probatum est quantitatibus debere recipi immediate in toto composito; est enim eadem ratio de quantitate, ac de illis qualitatibus, ut omnes fateri debent; neque aliquis negat hanc conclusionem, nisi qui negat quantitatibus subiectari in toto composito.

CONCLUSIO III.

80. *Ceteræ qualitates absolutæ (exceptis saltem vitalibus actibus & habitibus ad illas concurrentibus) subiectantur immediate in quantitate, & mediate tantum in substantia illa, in qua subiectatur quantitas.* Hæc est iuxta tertiam sententiam contra secundam: credo autem quod non sit contra primam, nisi quatenus supponit dari quantitatibus distinctam realiter a substantia & ceteris prædicamentis, quod negant authores primæ sententiæ, qui verisimiliter tenerent hanc conclusionem, si id non negarent: unde censendi sunt tenere hanc conclusionem quantum ad difficultatem suam propriam, in qua debet supponi quod datur quantitas sic distincta.

Probat hæc conclusio, quia non repugnat vlllo modo, ut vnum accidens absolutum subiectetur in alio accedente diuersæ rationis, quod ipsimet aduersarij pro maiori parte fatentur, & patet, quia non potest dari repugnantia vlla in hoc; supposito vero, quod id non repugnet, nihil impedit quo minus prædictæ qualitates subiectentur immediate in quantitate; ergo quod quidem ita tenet communior sententia, & quidem antiquorum, ita tenendum est.

81. *Probat* secundo, quia secundum aduersarios, qui tenent secundam sententiam debet dari aliquod vnum accidens absolutum, quod sit ceterorum susceptivum immediatum: sed nullum aliud potest conuenientius assignari, quam quantitas: ergo illa alia subiectantur immediate in quantitate. Probat minor, quia si esset aliud aliud, maxime illa qualitas susceptiva, quam impugnavi conclusione primæ: illa non, ut patet ex illa impugnatione: ergo.

Confirmatur hoc ex mysterio Eucharistiæ, quia ibi debet dari aliquod commune subiectum transmutationum accidentalium ex illis, quæ alias cognoscimus naturaliter inesse, si potest dari absque inconuenienti, ut vitemus miraculorum multiplicationem absque necessitate: sed nullum aliud possumus assignare præter quantitatibus, & hanc possumus assignare absque inconuenienti, ergo quantitas est subiectum commune reliquorum accidentium. Quod si non esset statuenda quantitas pro communi tali subiecto, profecto non posset meo iudicio probari, quod vlllo modo daretur quantitas, quæ esset accidens absolutum distinctum à reliquis prædicamentis, ut facile colligi potest ex dictis in Logica disp. de quantitate, quæst. 3.

Confirmatur secundo, quia patet experientia, quod quantitas Eucharistica ita physice coniungitur cum reliquis accidentibus, ut eadem motu reliqua moueantur: ergo vel coniungitur cum illis sic, ut subiectetur in illis, vel sic ut subiectentur in illa, vel sic, ut & quantitas & illa subiectentur in eodem subiecto communi. Sed nemo dicere quantitatibus subiectari in illis, nec id rationabiliter dici posset, cum quantitas soleat manere sine quocunque ex illis

Si qualitates non subiectantur in quantitate, subiectantur in composito substantiali.

Subiectantur in quantitate.

naturaliter, quod non posset fieri, subieciatur in illis; nec est ibi aliud subiectum commune, quidquid dicat *Auerſa* præcedenti conclusione impugnatus: ergo illæ aliæ qualitates subieciuntur in quantitate.

Dices posse aliqua duo coniungi, ac vniri physice inter se sic, vt vnum moueri non posset, quin moueretur alterum, absque eo, quod vel alterum in altero subieciatur, vel vtrumque in tertio, eo modo, quo corpus Christi Domini de facto coniungitur cum speciebus Eucharisticis, aut quo duo corpora, quæ supernaturaliter penetratiue ponerentur in eodem loco, & taliter coniungeretur, vnum moueri nequiret altero non moto, ex quibus neutrum tamen in altero subieciatur, neque vtrumque in tertio: neque enim est vlla repugnantia quin ita vnirentur: ergo ex eo, quod moueri nequeat quantitas Eucharistica, quin moueatur albedo, non sequitur quod altera in altera subieciatur, aut vtraque in tertio.

82. *Contra*, quamuis aliqua sic possent vniri, tamen non debet dici quod sic vniantur quantitas, & albedo Eucharistica, quia alias sic dici posset de materia prima & forma substantiali, quod neutra in altera subieciatur, & de accidentibus omnibus ac substantia.

Confirmatur hoc, quia ideo dicimus materiam primam esse subiectum formæ, quia forma aduenit ipsi vna post aliam, & quia agens nequit producere formam absque materia; & simili ratione dicuntur accidentia subieciari in substantia: sed inuariata quantitate Eucharistica adueniunt ipsi qualitates post alias, & ex suppositione supra probata quod non sit aliud subiectum, ex cuius potentia educantur, debet dici quod educantur ex ipsius potentia: ergo dicendum est, quod subieciuntur in illa.

Confirmatur secundo, quia corpus Christi non debet naturaliter moueri motis speciebus, nisi poneretur aliqua vnio in ipso ad species, aut nisi recurrendo ad miraculum, sicut nec Angelus intime præsens corpori absque vnione, aut extraordinario concursu deberet moueri ad motum corporis: ergo nisi ponatur aliqua particularis vnio inter quantitatem Eucharisticam, & qualitates, aut nisi adsit extraordinarius concursus, non deberent moueri ea mota: sed alia particularis vnio non debet asseri præter inhesionis qualitatum in quantitate, nec absque necessitate recurrendum est ad extraordinarium concursum: ergo qualitates dicendæ sunt in quantitate inherere.

Confirmatur tertio, quia ideo vnum corpus positum in eodem loco cum alio corpore deberet moueri eo moto, absque vnione, aut concursu extraordinario: quia causa mouens vnum esset æque applicata ad mouendum alterum, & alterum esset ex se æque capax motionis; vnde æque ex se deberet moueri, & non magis moueretur ad motum alterius, quam alterum ad motum illius: sed qualitates ex se non essent æque capaces, vt per se mouerentur, cum sint ex se penetrabiles, ac quantitas: ergo non deberent per se moueri, quando moueretur quantitas, nisi vnirentur, aut adhiberetur particularis concursus.

83. *Probat Māstrum* conclusionem, quia albedo, calor, ac similia extenduntur in superficie ad extensionem quantitatis: vnde & Philosophus capite de Quantitate, *Quantitas fuerit superficies, tantum album fore dicitur*: ergo qualitates huiusmodi in quantitate subieciuntur. Et cum proponeret replicam *Auerſa*, nempe quod hinc solum sequatur quantitatem prius recipi debere in substantia, tanquam dispositio, non vero quod recipiantur in ipsa quantitate.

Respondet non posse hoc dici, quia quando aliquid præsupponitur alicui formæ vt dispositio, & non vt susceptiuum, forma non communicat ipsi effectum formalem: sed albedo communicat suum effectum formalem quantitati, quantitas enim est alba: ergo quantitas non præsupponitur ipsi vt dispositio, sed vt susceptiuum.

Verum reuera hæc probatio mihi non sufficit; nam in primis certum est quod aliqua forma possit extendi ad extensionem quantitatis, tamque præsupponere, quæ tamen in ipsa quantitate non subieciatur; quod euidenter patet exemplo animæ sensitivæ ac vegetativæ corporis, quæ in sententia *Scotistarum* sic extenditur, & præsupponit quantitatem corporis organici, nec subieciatur tamen in ipsa

quantitate. Ad illud autem quod dicit *Māstrum* superficiem dici albam, atque adeo albedinem debere subieciari in quantitate, facile negari posset consequentia, quia dici posset alba ex eo quod coniungeretur intime cum albedine, licet non subieciatur illam.

84. *Et si dicas* contra hoc quod albedo in lacte, v. g. non dicatur dulcis, nec quantitas in bruto dicatur animata, licet coniungantur intime, sicut dicitur quantitas alba, & corpus animatum: sed huius ratio nequit assignari alia, quam quod albedo non sit subiectum inhesionis dulcedinis; ergo ad illas denominationes non sufficit intima coniunctio, sed requiritur subieciatio.

Respondet potest facile albedinem esse dulcem, & quantitatem animatam, duplicem posse habere sensum: vnum, quod albedo esset coniuncta intime cum dulcedine, & quantitas cum anima; & in hoc sensu falsum esset quod non posset dici albedo dulcis, & dulcedo alba, & quantitas corporis animati animata. *Alius sensus* esset, quod albedo esset dulcis, id est habens in se subiectam dulcedinem, & in hoc sensu falsum esset quidem quod albedo esset dulcis, sed pariter diceretur falsum esse quod superficies aut quantitas esset dulcis aut alba, & supponere quod in hoc sensu diceretur alba, esset omnino petere principium: & quemadmodum albedo dicitur quanta, licet non habeat illum effectum formalem à quantitate, tanquam à forma sibi inherente: quare quantitas non posset dici alba, licet non haberet illam denominationem ab albedine tanquam à forma sibi inherente?

85. *Obiicitur primo*: Vnum accidens nequit subieciari in alio accidente: ergo falsa conclusio. Probatur antecedens primo ex variis locis Philosophi, quibus ita significare videtur. Probatur secundo, quia nihil potest subieciatur aliud quod non sit per se subsistens. Probatur tertio, quia substantia non potest inherere; ergo neque accidens subieciatur. Probatur quarto, quia omne accidens est forma: ergo sicut materia nequit informare, ita neque forma potest recipere. Probatur quinto, quia quod dependet dependentia vnius generis, nequit dependentiam alterius in illo genere terminare: sed accidens dependet à substantia in genere susceptiuo: ergo non potest terminare dependentiam alterius in illo genere, nec consequenter potest aliud accidens subieciatur. Probatur sexto, sequeretur quod vnum accidens sustentaret aliud, & quod vnum educeretur ex potentia alterius, & quod quantitas posset moueri motu alterationis, & lationis: sed hæc sunt absurda. Sed omiſſa specificatione istorum locorum apud *Māstrum* videnda disputat. 3. questione 3. art. 1.

86. *Respondet* negando antecedens, & explicando Philosophum, qui voluit solum accidens non posse subieciari in alio accidente, tanquam in subiecto primo, & substantiam propterea tanquam subiectum primum & vltimum ponendam esse in ipsorum definitione, & ex accidentibus disparatis, & non subordinatis, qualia sunt albedo & dulcedo, vnum in alio non subieciari: quod quamquam sit verum, non est ad propositum. Adde, si Philosophus existimaret vnum accidens in alio recipi non posse, ipsius auctoritatem non esse magni faciendam quantum ad hoc, quia nec pro se vlla posset habere rationem.

Ad secundam probationem, nego antecedens, nihil enim deseruit per se subsistere ad subieciationem vt sic; sed requiritur tantum ad subieciationem vltimam, qualis non tribuimus quantitati nec vlli accidenti. *Ad tertiam probationem* negatur consequentia, illud enim consequens non sequitur, sed hoc aliud; ergo non potest accidens esse per se perfectitate substantiali, quod concedimus. *Ad quartam probationem*, nego consequentiam, quia non est de ratione materie solius recipere, sicut est solius formæ informare ac inherere. *Ad quintam probationem*, nego maiorem, pater enim dependet à suo patre in genere causæ efficientis, & in eodem genere terminat dependentiam filij. *Ad sextam* denique concedo sequelas omnes, & nego minorem tam facile quam ab aduersariis asseritur. *Māstrum* quidem negat vltimam sequelam de motu lationis & alterationis, quia sic moueri solū potest substantia, in cuius virtute mouetur quantitas: sed hoc esset reducere rem ad questionem de quantitate

quæstionē de nomine, & in rei veritate patet ex mysterio Eucharistiæ, quod quantitas absque substantia moueatur localiter, & etiam alteretur ad calorem & frigus.

87. *Obiicies secundo.* Non colligitur cætera accidentia absoluta inhaerere quantitati; neque ex natura ipsorum, quandoquidem non possit ex illorum natura vllum argumentum deduci, ex quo id probetur; neque ex eo quod recipi nō possint nisi in subiecto quanto, quia anima sensitiva nō recipitur nisi in tali subiecto, & tamē recipitur in quantitate; neque ex eo quod extendantur quantitativè, quia sic etiam extenditur anima sensitiva & vegetativa; neque ex mysterio Eucharistiæ ad saluandum mutationes, quæ circa species Eucharisticas fiunt: tum quia illæ saluari possunt per qualitatem, quæ est potentia naturalis, & in qua ipsa quantitas subiektatur; tum quia circa illas fiūt aliæ mutationes, quæ non possunt subiektari in quantitate, nempe rarefactio & condensatio, præsertim si per has mutationes producat & deperdat quantitas, vt multi Scotistæ tenent: sed aliud caput assignari nequit, ex quo colligeretur illa accidentia subiektari in quantitate; ergo asseri non debet.

Confirmatur, ex *Arriaga*, quia si ad vitanda miracula deberemus naturas rerum inueterare, propter eandem rationem deberemus dicere, quod quantitas non dependeat à substantia, ne dicatur scilicet miraculose conservari absque concursu substantiæ, à qua dependere deberet. Nam quantum ad rationem & experientiam, sicut non potest probari accidentia non recipi in materia aut substantia, & propterea negatur à nobis, vt vitetur miraculum; ita etiam non potest probari ratione aut experientia, quod quantitas dependeat à substantia; ergo debet negari eodem modo quod sic dependeat, vt vitetur miraculum.

88. *Respondetur*, concedendo maiorem pro primis partibus, & eam negando pro vltima parte de mysterio Eucharistiæ: ad cuius primam probationem nego dari illam qualitatem, quæ sit potentia naturalis, & sit commune subiectum quantitatis ac reliquorum accidentium; cuius ratio patet ex prima conclusione. Ad secundam probationem nego illas mutationes condensationis ac rarefactionis præsupponere in illis speciebus subiectum necessarium, quàm quantitatem, siue producat aut corrumpatur quantitas per illas, siue non; de quo suo loco. Videantur dicta in *Logica de quantitate quæst. 3.* Posset etiam negari minor, & alia capita assignari, nempe cætera fundamenta nostræ conclusionis, præter illud de Eucharistia.

Ad confirmationem nego suppositum, nempe secundum nos inuerti naturas rerum ad vitanda miracula, licet merito negemus miracula superflua asserenda, quoties saluari potest quomodo iuxta naturas rerum, quæ miracula dicuntur, heri possunt absque miraculo: & per hoc ruit tota hæc confirmatio. Illud autem, quod dicit æque constare quantitatem non dependere à substantia, ac qualitates subiektari in quantitate, omnino falsum est, nam nulla prorsus est ratio, vnde colligatur quod accidens non dependeat à substantia, & sunt aliquæ rationes, ex quibus colligitur accidentia subiektari in quantitate, & nulli dicunt accidentia non dependere à substantia, & tamen communis sententia dicit qualitates subiektari in quantitate. *Præterea* est certum non posse naturaliter conservari quantitatem absque substantia, & propterea necessarium recurrendum est ad miraculum, vt sic conservetur: sed non est certum qualitates non subiektari in quantitate, ergo non est necessarium recurrere ad miraculum quoties de nouo producantur qualitates in Eucharistia. Quod si vitari posset miraculum non necessarium in conseruatione quantitatis absque substantia, dicendo quod non dependet vlla ratio à substantia, & non constaret quod dependeret; profecto optime diceretur quod non dependet: ergo si potest vitari miraculum in productione qualitatum de nouo in speciebus Eucharisticis dicendo, quod subiektantur in quantitate; id dici debet, nisi constet quod non subiektantur. Sed certe hoc non constat, sed magis constat oppositum: ergo ita dicendum est.

89. *Obiicies tertio:* Albedo non debet potius subiektari in quantitate, quàm quantitas in albedine: sicut enim videmus quantitatem esse albam, ita videmus albedinem esse quantam: ergo neutra in altera subiektari debet, vel subiektabuntur in se inuicem mutuo, quod est absurdum.

Respondetur negando antecedens, & ad probationem dico quod non ex eo colligamus albedinem subiektari in quantitate, quod quantitas dicatur alba, sed ex eo quod accedere soleat ipsi albedo, & recedere ab ipsa manente inuatiata, & ex aliis principiis conclusionis.

90. *Obiicies vltimo ex Hurtado:* Munus quantitatis est disponere materiam ad recipiendam formam, & eam extendere impenetrabiliter, vt possit recipere actiones causarum materialium, ergo eius munus non est recipere alias qualitates.

Confirmatur, quia aliæ qualitates sunt dispositiones substantiæ ad formam substantialem producendam aut conservandam: ergo potius debent in ipsam substantiam subiektari immediate, quàm in quantitate: non videtur enim quomodo apte possint disponere substantiam ad formam, si non subiektentur immediate in illa.

Respondetur distinguendo antecedens: illud est solum munus, negatur; est munus ipsius, sed non solum, concedo, & nego consequentiam.

Ad confirmationem respondeo negando consequentiam, bene enim possunt disponere substantiam eo modo quo conuenit ipsi eam disponere per hoc quod insint ipsi mediate.

91. Dixi autem in conclusione: *exceptis qualitatibus vitalibus* quales sunt actus vitales immanentes, quia fortassis huiusmodi actus ex natura sua particulari exigunt subiektari in ipsam potentiam, quæ ipsas producit, quia aliàs non essent immanentes, nec determinarent fortassis potentiam sic, vt sensibilibus operaretur per illos; hoc supposito etiam habitus & species ad ipsas concurrentes in ipsa eadem potentia substantiali corporea subiektari debent, præsertim cum non habeamus experientiam, quod separata quantitate animalis manerent in illa istæ qualitates, sicut manent de facto qualitates Eucharisticæ absque alio miraculo præter solam separationem ipsiusmet quantitatis: manere autem verisimiliter deberent, si in quantitate immediate subiektarentur non minus quàm aliæ illæ qualitates.

Ex resolutione huius & præcedentis conclusionis sequitur non cessatio in generatione cuiuslibet non viuentis substantiæ dari resolutionem substantiæ corruptæ ex cuius materia generatur, vsque ad ipsammet materiam primam, & accidentia relatiua in ipsa immediate subiektata, ac independentia à formis absolutis: fieri enim huiusmodi resolutionem non est aliud, quàm, quando fit talis generatio, nihil prorsus remanere ex composito destructo nec substantiale nec accidentale præter materiam primam ac relationes in ipsa subiektatas ac independentes ab illo composito ac suis formis absolutis: sed quandoquidem ex dictis constat quantitatem subiektari in toto composito, & non in materia prima, & qualitates etiam subiektari in quantitate, certum est destructo toto, & formam substantialem ipsius, & quantitatem, & qualitates, tam in ipsa quàm in toto subiektatas, ac consequenter omnes relationes ab ipsis dependentes definere esse: ergo datur tum resolutio vsque ad materiam primam. Quod si quantitas subiektaretur in sola materia prima, non esset necessarium fieri talem resolutionem, quia quantitas compositi destructi posset simul cum materia remanere in composito generato.

92. *Si autem queratur* cur non fiat resolutio huiusmodi vsque ad materiam primam in viuentium generatione, quemadmodum fit in generatione non viuentium *Respondetur* rationem esse, quod in viuentibus sunt duæ formæ substantiales, nimirum forma corporeitatis, & anima, vt suppono ex aliis dicendis, quarum vna præcedit alteram etiam tempore: quando autem generatur viuens formaliter, solum produciuntur anima, & alia supponitur producta.

Datur resolutio vsque ad materiam primam.

nec desinere debet intro ducta anima; unde totum compositum ex ea, & materia prima simul cum quantitate ac qualitatibus suis manet cum anima in viuente. Secus autem est de non viuentibus, in quibus vnica tantum est forma substantialis, ad cuius introductionem alia destruitur simul cum toto constituto per ipsam, ac suis accidentibus. Quod si pro eodem instanti temporis introduceretur & forma substantialis & anima, etiam in generatione viuentium fieret resolutio vsque ad materiam primam, quia forma corporeitatis introduci nequit, quin desinat esse aliquod compositum, in cuius materia illa introducarur. Sed nunquam in corruptione viuentis fit resolutio vsque ad materiam primam, quia quando moritur viuens semper manet forma corporeitatis aliquandiu post eius mortem in materia, vt patet experientia.

Possit hic commodè examinari, an totum substantiale habeat aliquam substantiam aut supposititalitatem distinctam à natura sua & singularitate; & an existentia ipsius sit realiter ab ipso distincta. Sed hæc difficultates remittendæ videbantur ad Metaphysicam, vbi de ipsa substantia, & existentia vniuersaliter tradi solet, & debet. Quare hæc sola modo sufficiant quantum ad primum librum Physicorum.

LIBER SECVNDVS

PHYSICORVM.

SICVT in priori Libro Philosophus egit de principiis intrinsicis corporum naturalium, ita in hoc agit de principiis extrinsecis, seu causis eorum, de quibus multa scitu dignissima considerabilia sunt, quorum tamen plurima ad Metaphysicam spectant, licet hic communiter tractari soleant, prius tamen quam causarum harum iniret tractationem, de ipsa natura disserere voluit.

DISPVATIO VII.

DE NATVRA.

VIA à natura habent corpora esse naturalia, ac considerationis physica, propterea in initio huius libri agit Philosophus de natura; non capitur autem hic natura, prout significat Deum, quem naturam naturantem aliqui appellant; nec prout significat vniuersitatem rerum omnium creaturarum, quo sensu Philosophus ait, naturam pendere à primo principio, & Theologi asserunt illud esse miraculum, quod totius naturæ excedit virtutem; nec prout significat inclinationem naturalem accidentalem rei, quo sensu dicitur ex hominibus vnum esse ex natura sua hilarem, alium tristem, alium liberalem; nec etiam prout significat essentiam ac quidditatem rei, vt capitur communiter, quando dicitur, quod definitio sit ratio explicans naturam rei, & quod in tribus personis diuinis sit vna natura; quia in hoc sensu Deus & Angeli & entia etiam rationis constarent natura, & essent entia naturalia, quod tamen falsum est, prout natura hic capitur, quia alias essent considerationis physica, quod nemo asserit. Accipitur ergo, vt omitram alias acceptiones eius, hic natura, prout est principium motus corporalis, qui & physicus vocatur.

QVÆSTIO I.

Quid sit Natura.

Suppono dari naturam, id est principium intrinsecum motus, & quauis id à priori demonstrari non possit po-

test à posteriori exterum mobilitate, licet id tam notum sit, vt frustra in eo probando quis hæreret, & hinc Philosophus asserit, ridiculum esse naturam demonstrare velle.

CONCLUSIO

Bene definitur natura esse principium & causa motus & quietis eius, in quo est primo per se, & non per accidens. Hæc est communissima cum Philosopho hic: & patet tum ex eius explicatione, tum ex solutione obiectionum, quæ contra opponi possunt. Dicitur principium & causa, vt distinguatur ab illis, quæ non sunt nec principium nec causa; idem autem intelligitur per vtramque illam particulam, ex quibus secunda additur claritatis maioris gratia, nam alioquin alterutra sufficeret; nec definitiones debent esse sic per pauciora, quin aliqua non necessaria addi possint claritatis & elegantiae etiam gratia. Dicitur motus & quietis, vt distinguatur natura à principiis, quæ non principiant motum & quietem, vt Deus quatenus est principium Angelorum, & ipsius materię primæ, quæ non producantur per motum alicuius subiecti, quandoquidem creantur & non habent subiecta. Dicitur eius in quo inest, id est in quo inest ipsa natura, vt distinguatur à principiis motus & quietis aliarum rerum, in quibus non inest illa principia, vt sunt causæ efficientes, quatenus mouere possunt alia corpora à seipsis. Dicitur primo, vt significetur naturam esse primum principium motus, nec præsupponere aliud principium, ratione cuius in sit rei; & per hoc excluditur potentia loco motiua, quæ est principium motus deorsum, sed non inest primo, lapidi, verbi gratia, sed inest ipsi, ratione alterius principij, nempe ratione formæ lapidis. Dicitur per se & non per accidens (per quas etiam duas particulas idem intelligitur, sed additur non per accidens etiam claritatis causa) vt excludantur principia motus accidentalia, vt grauitas.

Et si dicas, illa excludi sufficienter per præcedentem particulam primo. Respondeo id negando, possit enim aliquod principium accidentale motus competere alicui primo, id est non competere ipsi ratione alterius principij intrinsicæ, vt patet in impulsu proiectorum; ille enim impulsus est principium motus, quo projecta mouentur, & non competit ipsis projectis ratione alterius principij inexistentis ipsis projectis: aduenit enim ipsis ab extrinseco.

Dices, saltem per particulam, per se & non accidens, excluduntur principia omnia accidentalia, siue quæ primo, siue quæ secundario competunt rei: ergo frustra ponitur altera particula primo.

Respondeo negando consequentiam, quia altera illa particula adiungenda erat, vt excluderentur potentia ad motum identificata rebus mobilibus, quæ per se secundo & non per accidens, non vero per se primo competunt & inest illis.

3. Obiicies primo. Dantur multa corpora naturalia constantia natura, ac considerationis physica, quæ non habent principium motus in seipsis, vt Cælum empyreum, & elementum Terræ, quæ nunquam mouentur nec moueri possunt naturaliter. Dantur etiam alia similia corpora, quæ non habent in se principium quietis, vt cæli mobiles, qui nunquam quiescunt, nec quiescere possunt naturaliter: ergo male dicitur, quod natura sit principium motus & quietis.

Respondeo negando antecedens: nam Cælum empyreum & Terra habet principium istius motus, quo mutabatur ipsorum materia ad formam substantialem suam in instanti generationis (si tamen Cælum constet materia) & deinde habent principia motus, quo mouebatur ipsorum substantia, ad accidentia sibi connaturalia: nec necesse est, quod omne id, quod constat natura, possit moueri naturaliter motu locali, aut etiam motu successiuo: non enim intelligitur per motum positum in hac definitione motus successiuus, sed motus vt sic, abstrahens à successiuo & instantaneo, vt omitram Terram quoad quamlibet partem sui posse naturaliter moueri motu etiam locali ac alterationis ad calorem, & frigus.

Deinde, cæli immobiles licet non haberent principium quietis

Variegationes nature.

Omne corpus habet in se principium motus.